Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Samuel Friedrich Nathanael Morus

Epitome Theologiae Christianae

Editio Qvarta Passim Avcta, Lipsiae: Svmtv E. B. Schwickerti, MDCCLXXXXIX

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781


Druck Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866827781/phys_0001
DFG

Fh_3366.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866827781/phys_0003
DFG

EPITOME THEOLOGIAE CHRISTIANAE

FVTVRIS DOCTORIBVS RELIGIONIS

SCRIPSIT

D. SAM. FRID. NATHAN. MORVS

THEOL. PROFESSOR IN ACAD. LIPS.

EDITIO QVARTA PASSIM AVCTA

LIPSIAE

SVMTV E. B. SCHWICKERTI

A. MDCCLXXXXIX

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866827781/phys_0006
DFG

PRAEFATIO
PRIMAE EDITIONIS.

Satis videor ipsa libri inscriptione indicasse, quo consilio elaboratus, quid in eo quaerendum sit. Vt igitur nemo hic quaeret, quae viros doctos et exercitatos delectent aut nutriant: ita nemo opinabitur, reperturum se hoc in libro modum populariter tradendae doctrinae de religione, quem vnum fere aetas nostra expetit; quamquam nonnulla ex hoc genere passim adspersa sunt. Vbique potius operam dedi, vt hos, quibus propositum est, olim docere, illustrare et defendere capita doctrinae christianae, praepararem ad subtilitatem ea discendi et examinandi, librosque sacros, vnde haec omnia discuntur, recte interpretandi. Errat autem, qui se vere, et cum fructu certo, et vt decet doctorem, populariter traditurum doctrinam religionis sperat, si modo summam eius, omnibus christianis cognitu necessariam, et ea, quae ad ipsum vsum pertinent, teneat. Nam qui vno hoc modo se docendi negotio parauit, is ita quidem repetet elementa, vt didicerat; cur vero ita tradat, quomodo defendat, et in omnes partes versando vberius explicet, cur haec potissimum tradat, plura vero non addat, quid vero annumerandum sit ca-

pitibus doctrinae, quid acceſſerit per hominum ſtudia, collocata in methodo, in minuendis erroribus, in coetuum discriminibus ſignandis, quid omitti poſſit, quid melius conſtituendum, planius eloquendum ſit, quae discrimina ſint verborum, in ſacris libris occurrentium, et vnum ſint, an eadem tantum notio diuerſis verbis exprimatur, quae vernacula verba Hebraicis illis plene perfecteque reſpondeant, qua via, quoad vsque, per quae praeſidia vlterius ducat eos, qui vlterius progredi cupiunt, haec igitur omnia ignorabit, ad varietatem vero earumdem rerum alia ſemper ex parte tractandarum, repetendo, illuſtrando, confirmando, et ad facultatem discernendi diuerſa, coniungendi ſimilia, deſtitutus ſedebit materia, exercitatione, adminiculis. Haec autem omnia iure poſtulari a doctore hominum varii generis, rem ſerio cogitans, et cum omnium temporum hiſtoria comparans, vix dubitabit. Fuit Spenerus, ſi quis alius, popularitatis in docendo iuſtae peritus; ſed idem ille ſubtiliter doctus theologus, quod vel vnus eius liber de aeterna Ieſu Chriſti diuinitate declarat.

Hinc ante omnia operam contuli in diligentiam conſtituendi notiones rerum, multisque capitibus id diſerte praeſcripſi, velle me de notione religionis, baptiſmi, emendationis, exponere. Qui enim notiones iuſtas, veluti gratiae ſalutaris, informauit animo, recte e ſacris literis ductas, et verbis propriis explicatas, is habet in iis veluti complicata omnia, quae docendo inde euoluat, h. e.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0008
DFG

poteſt definitionem in ſuas diuidere propoſitiones, ſingulas tractare explicando et confirmando, atque e ſingulis concludere, quae ex iis nexa ſunt. Quantumuis ergo nonnulli rideant definitiones, vt ieiunas, quantumuis adquieſcant re vtcumque deſcribenda, quantumuis declamitare malint, quam docere: tamen illa earum vtilitas, quam dixi, vrgere nos debet ad ſeuerum in iis formandis ſtudium, et ad magnam cautionem, ne definiendo vel erretur, vel perſpicuitas negligatur.

Egi porro hoc, vt, quae rebus ita definitis tribuuntur a ſacris ſcriptoribus, veluti conſilia et fructus, qui morti Chriſti, baptiſmo, fidei adſcribuntur, ea proponerem deinceps. Nam ita dum diſcuntur propoſitiones, de eadem re in ſacra ſcriptura docendi cauſa paſſim traditae, cognoſcuntur dogmata religionis, ibi tractatae. In his autem enarrandis elaboraui, vt verbis propriis, aut, ſi non ſuppeterent propria, tamen finitis, et ad certam ſignificationem redactis, non vagae amplius notionis, expreſſas propoſitiones exhiberem, quae eſſent norma iudicandi propoſitiones alias, rem eamdem tropicis aliisque verbis indicantes. Eſt enim dogma, ſiue theſis, tum cum dogmaticam aut theticam theologiae partem nominamus, propoſitio, de religione agens, in ſacris libris obuia, eaque verbis propriis aut finitis expreſſa: veluti, Chriſtum mortuum eſſe in peccati veniam. Iam exſtat quidem et illa: Chriſtum eſſe victimam, aut ſacerdotem: ſed nihil aliud continet, quam ſupe-

rior illa de Christo in peccati veniam mortuo: neque est propositio, rem diuersam exprimens, sed sensu eadem, quae altera, tantummodo varians verba. Cum autem non omnes propositiones a sacris scriptoribus proprie expressae sint, tamquam illa, Deum mutare homines in melius per doctrinam (fere enim legitur, Deum regenerare, convertere, renouare per doctrinam): hae, vt sint dogmata et theses in vsus docendi, aut exprimi debent verbis propriis (veluti: mutat in melius Deus): aut si quis malit tenere vocabula sacrorum librorum, finiri verba debent: vt cum regenerationem vel renouationem esse dicimus mutationem in melius (meliorem statum moralem). Ita finitis iam verbis expressae propositiones adhibebuntur in certos, non fluxos, vsus dogmatis. Videntur haec putidae diligentiae; sed ea certo vlciscitur neglectum sui. Si enim, qui omnia conturbarunt, qui suas magis opinationes, easque interdum fanaticas, quam sacrorum librorum sensum legitime intellectum secuti sunt, iussi essent huic legi dialecticae se adstringere, finire verba, definitionis rationem reddere, atque ita in examine dogmatis alicuius ne latum quidem digitum a definitione recedere: saepe numero tacere coacti essent: nec potuissent, vt exemplo vtar, tam ambigua et pugnantia inuicem, de natura et gratia, de bonis operibus, de libero arbitrio dici, tam aliena a religione de modo hominis erudiendi et emendandi, de vnione mystica, de inhabitante homines Deo, proferri.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0010
DFG

Alia haec cura fuit, vt propositiones munirentur argumentis, cum subtilitas sine perpetua causarum et argumentorum cognitione plane non locum habeat. Iam argumenta in dogmatibus religionis christianae confirmandis potissimum ita proferuntur, si ostendatur, legi propositionem aliquam, aut legitima consecutione contineri in sacra scriptura: nam ita efficitur, eam esse vere partem doctrinae. Sed cum scriptores sacri non modo asseuerent et ponant, ita esse, verum etiam causas addant, veluti, contrarium esse aliquid aut congruum naturae Dei, continere declarationem amoris aut iustitiae Dei, cohaerere cum negotio siue opere Christi, aut quae Christus de causis, quare Deus homines potissimum curet conseruetque, disserit, vel Paulus de causis indolis praestantioris corporum, quae resuscitabuntur, disputat: etiam hae causae, et haec indicia nexus, quo vnum cum altero copulatur, haud dubie argumenta sunt, tanto illa studiosius cognoscenda, quanto certius ad rem vlterius cogitandam ducunt, et calumniantibus religionem declarant, non exsulare e doctrina religionis vsum rationis, quae expositas ibi cum causis sententias explicat, examinat, inuicem comparat et connectit. Qui vsus rationis adeo non est alienus a religione, vt laudandus potius et commendandus sit magnopere. Hic enim rationis vsus non excogitat doctrinam, non adinuenit additamenta arbitraria et superflua, non profert contraria doctrinae; sed obuia, parata, expositа, oblata nobis, tractat, tractando admouet et familiaria

reddit intelligentiae noſtrae, et cogitando noſtra facit: veluti cum cauſas neceſſariae pietatis exponimus, aut rationes, quare nos chriſtiani legibus Moſaicis non teneamur, nec eae leges locum in doctrina Chriſti habere poſſint. Occurrunt rurſus argumenta, quae et naturali religioni in promtu ſunt, et in mixtis, quos ſchola dicit, articulis enarrantur. Haec ergo omnia vt cogitatione noſtra tractanda ſunt, vt animum inſtruunt copia rerum atque varietate, vt perſuaſionem magnopere adiuuant, vt cogitantem de religione exhilarant per concentum eorum, quae ſcriptura ſacra aſſeverat et ponit, cum his, quae rerum natura cogitanda cognoſcuntur: ita iis locum ſuum relinquendum in dogmatibus confirmandis eſſe, tanto minus dubitatur, quam certius eſt, ipſos ſacros ſcriptores non modo multa e religione naturali in ſuos libros transtuliſſe, ſed et Paulum nominatim pluribus disputationibus, naturam rei late exponentibus, vſum eſſe, vt cum de chriſtiana libertate diſſerit: id quod conatus ſum exponere in diſſertationibus theologicis et philologicis, vbi modum cogitandi de officiis e quodam loco epiſtolae ad Romanos deſcripſi. Intra tria haec argumentorum genera me continui, miſſis vt plurimum iis, quae aut neceſſitatis demonſtrationem (quam tamen non aſſequimur) ibi tractant, vbi Deum aliter agere non potuiſſe, ſic inſtituere vtique debuiſſe contenditur, (veluti in loco de morte Chriſti, et ea, quae vulgo ſatisfactio dicitur) aut veriſimilium ſententiarum munimenta ſunt, (vt in capite

de futura hominum conditione, de propagatione vitiositatis, de paganorum sorte futura): non quo haec, quae omiseram, inutilia censerem aut contemnerem; sed ne frustra laborarem in demonstranda necessitate, vbi demonstrari nequit; neue distraherentur animi discentium inter argumenta, quibus vtique opus est, et alia, quibus etiam carere aliquis potest; aut studiosi literarum argumentis his idem pretium statuerent, quod illis tribus generibus, paulo ante descriptis, statuendum est; atque adeo disputationes, per haec argumenta tractatas, et rem, ita disserendo confirmatam, facerent partes doctrinae de religione, cum non nisi additamenta sint, quaestiones de possibili et de modo, saepe etiam coniecturae et προβλήματα. In argumentis e sacra scriptura proferendis meo sensu vsus sum, vt quisque vtitur suo: ideoque partim locos, quos vere agere de aliquo dogmate mihi causis examinatis persuaseram, indicaui, non adsumtis aliis, quamuis vulgo ad illud dogma confirmandum vsurpatis: partim eum sensum horum locorum, ad quem plurium annorum exercitatione et labore deueneram, tenui, nemine refutato, qui aliter intelligeret.

Ordine, quo carere nequit subtilitas, singulos deinceps locos exposui eo, quem si non vnum omnibus anteferendum, at, vt Horatiano verbo vtar, lucidum tamen, nec impeditum aut difficilem esse arbitrabar. Sic enim mecum iudicabam, si exordium factum esset a Deo, qui fons religio-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0013
DFG

nis omnis est, et operibus eius illis, per quae se vniuerso, et vniuersum viciſſim ſibi nexum esse voluit; ſi deinde quaesitum esset, quales, quare et quo consilio nos homines esse iussisset, conservaretque: sponte sequi, indicandum esse, nos per omnem illam doctrinam declarari peccatores, non ita cum illo cognito a nobis Deo nexos, vt eius opera postulant, non assequentes illud consilium, eique satisfacientes, quo nos esse et permanere iussit: sic posse iam exponi de beneficiis, per quae Deus instituit nos reddere rursus idoneos illi suo consilio: ad quem vnum scopum doctrina integra tendit, praeter haec beneficia nihil tractans, nihil promittens, nihil exhibens. Quaedam capita, vt de angelis et ecclesia, cum viderem variis locis inseri vniuersae summae doctrinarum posse, segregaui a ceteris, vt partes per se spectatas. Doctrinis ipsis praemisi quaedam de religionis atque theologiae notione, de causis item fidei, quam libri sacri merentur: cum illa nescire turpe sit, haec ignorare non nisi temerarium assensum relinquat. Sed in priori illo, siue religionis notione declaranda, pro consilio huius libri satis erat, nosse notionem et fontem religionis; non opus videbatur, operam impendere longis illis disputationibus de veritate christianae religionis, de necessitate et possibilitate reuelationis, et ceteris, quae institutae sunt ex aliquo inde tempore aduersus hos, qui aut omnem religionem tollunt, aut naturalem sibi sufficere prae se ferunt. Nam hi, quibus scriptus est hic liber, futuri doctores christianae

religionis, concedunt, esse religionem, agnoscunt, eam congruere naturae Dei hominumque, nec abiiciunt reuelatam; saltem sperandum est, eos ita iudicaturos. Et quamquam sic quoque vtiles iis sunt huiusmodi disputationes: tamen proprie non pertinent ad ambitum dogmaticae theologiae, nec possunt pauci absolui, sed sunt ex aliis libris iusta cum cura petendae. Ceterum, qui articuli olim in dogmatico systemate et ipsi tractabantur, de societate domestica, de ciuibus et magistratu, de ministerio ecclesiastico, de his omnibus vnum adest dogma, esse haec omnia voluntatis institutionisque diuinae, et subesse prouidentiae Dei: de quo moneri potest in locis de prouidentia, de Christo Domino, de ecclesia: cetera, quae de his societatibus muneribusque olim solebant explicari, ea vel ad doctrinam de moribus et officiis pertinebant, quam hodie merito seorsim tractamus, vel muneris alicuius omnem rationem describebant, vel alia omnia continebant, quam dogmata, vt ibi, vbi de consanguineorum matrimoniis, aut ecclesiastica potestate, aut prudentia doctoris in munere administrando disserebatur. Igitur illos locos omisi.

Notiones autem rerum et propositiones expressi vt plurimum iis ipsis verbis, quae nobis praeeunt sacri scriptores, vbi vtuntur propriis verbis: quoad potui, aliis verbis abstinui, quae consuetudo scriptorum ecclesiasticorum illis substituit, et addidit: de quo quidem verborum, Latinorum praesertim, genere illustrando prae ceteris bene meruit Erne-

ſtius in omnibus ab ſe editis de theologia libris. Proinde non dixi, locum aliquem agere de munere Chriſti, ſed de eius negotio: nec in theſibus ipſis locutus ſum de ſatisfactione; ſed de morte Chriſti et obedientia. Non inſcripſi locum aliquem de peccato originis; ſed de imperfectione (φθορᾷ) generis humani, cuius pars eſt illa communis et inſita ἀταξία: nec de ſacramentis, ſed ſingulatim de baptiſmo, de coena ſacra. Praeterquam enim quod religionis doctrina ſine verbis iſtis eccleſiaſticis, vt expreſſa exſtat in ſacris literis, tradi poteſt, et tradita eſt antea, quam iſta verba reperta ſunt et introducta, contrahitur ita maior familiaritas cum vſu loquendi ſcriptorum ſacrorum, atque illud inprimis hac via cognoſcitur, quo ambitu quodque verborum vſurpare ſoleant, (veluti cum partes gratiae Dei ſalutaris deſcribunt, aut negotio ſeu operi Chriſti annumerant, eum docuiſſe aliquamdiu oretenus, in peccati veniam obiiſſe, et nunc eſſe Dominum), et quae verba quo ſenſu transtulerint ad docendum, iisque ſedem in doctrina propriam aſſignarint, vt ſunt angeli, fidei, ſalutis, gratiae, eccleſiae vocabula. Negari porro non poteſt, eccleſiaſtica vocabula eſſe mere arbitraria, vt ſacramenti verbum, et in loco de Chriſto nomen meriti: dici interdum aut latius aut anguſtius, quam ſcripturae verba, quibus illa ſunt a doctoribus ſuperaddita, vt in ſatisfactionis actiuae et paſſiuae, et in regenerationis, renouationis et conſtantis fidei praedeſtinatae nominibus accidit: iis denique adhaerere notionem methodi ſemel re-

ceptae, vt, auditis verbis, exſpectetur hic ordo, hic rerum ambitus, haec materia, cui ſumus adſueti per occaſionem verborum a puero inde. Qui, vt hoc vtar, legit indicem articuli de praedeſtinatione, aut initium quaeſtionis de theopneuſtia ſacrae ſcripturae vtriusque foederis, is vna in ea re ſe detinendum putat, perſtantibus in fide decretam eſſe ſalutis aeternae poſſeſſionem, aut ſuggeſta eſſe ſcriptoribus cum re etiam verba: is indignatur, ſi ab aliquo vel plura vel pauciora expoſita legerit, ſi etiam recte factis nos praedeſtinatos, ſi, etſi verba non ſint inſpirata, tamen θεόπνευστον ſcriptum eſſe audierit. Non neglexi tamen vocabula eccleſiaſticorum ſcriptorum, cum pars doctrinae theologicae ſit, ea noſſe; ſed in ſcholia et corollaria et appendices congeſſi, et cum vocabulis doctrinisque ſcripturae ſacrae comparaui, notato tamen, vbi opus erat, discrimine.

Multa vero eiusmodi vocabula eccleſiaſtica, et cum his introductae definitiones (determinationes) notionum atque ſententiarum, debentur priuatis diſſenſionibus doctorum et publicis controuerſiis. Cum enim aliquis ſententiam ſuam, ſuosque loquendi modos, parum probaſſet aliis, ideoque moneretur, ſic neque ſentiri, neque dici recte: quaeſiuit neceſſario ille alter, quid potius ſentire, quibus verbis vti deberet, ne erroris argueretur, quid viciſſim eius reprehenſores ſentirent, quomodo loquerentur, et quare ſua iudicarent certiora. Illico, cum vnus alterum vrgeret, definie-

bantur et conflituebantur sententiae, illico vocabula introducebantur: vt in Ariana causa et Sabellianis disputationibus, vbi de filio Dei genito, non facto, de ὁμοσσία, non similitudine, aliquam dissimilitudinem relinquente, de tribus personis, non modis agendi, ita certatum est, vt sententiis conflituendis verba introducerentur, et verbis introducendis sententiae conflitutae firmarentur. Cum autem fieri tali tempore soleret, vt victrix pars verum omnino vidisse censeretur, eiusque sententia cum ὀρθοδοξίας nomine iam auctoritatem maiorem adipiscereturr coepit adeo, si res in conciliis diremta esset, non modo sententia fieri publica, sed vocabula quoque, ei exprimendae delecta, sancita sunt auctoritatis publicae honore atque iure, abieruntque iam in signa et notae discernendi orthodoxos a secus sentientibus. Quae cum ita sint, et plures huius generis modi, quibus conflitutae sententiae sunt, multaque verba iis destinata, in popularem adeo institutionem libelloque elementares venerint: carere nequit doctor in cognoscendis subtiliter dogmatibus ea parte historiae ecclesiasticae, quae occasionem et originem haec ita conflituendi et verbis eloquendi demonstrat: vt secum statuat, tantum de his legi in scriptura sacra, tantum accessisse per humanas disputationes, sic apostolos, sic doctores ecclesiae post controuersias et propter eas loqui; et vt sciat, quonam modo et quatenus docti pariter ac indocti erudiendi sint, illi ad omnem ambitum et apparatum rerum perspiciendum, hi magis ad intelligendam scripturam

sacram, quam ad doctores ecclesiasticos legendos, magis de doctrina ipsa, quam de controuersiis, magis ad vsum vitae, quam scholae; vt denique haec omnia, quorum origines ab historia sibi monstratae sunt, cum ipsa scriptorum sacrorum doctrina comparet. Ergo, quamquam digito tantum, monstraui tamen, historiam adeundam esse, et additos scriptoribus sacris eiusmodi sententiarum constituendarum modos, addita verba, discreui sedulo ab vsu loquendi scripturae sacrae, et modo docendi, quo vsi sunt Apostoli.

Alia historiae ad subtilitatem pertinentis vtilitas est, quae ad agnoscendam et iudicandam coetus eius, cui addicti sumus, publicam doctrinam doctrinaeque professionem ducit. Cui quidem publicae doctrinae ego, memor officii mei, idemque in plerisque partibus eius certam persuasionem secutus, in nonnullis causas verisimiles et emollimenta quaedam, sciens et volens non oblocutus sum. Ita enim multas post disputationes de doctrina publica librisque symbolicis, ex aliquo tempore ambitiosius renouatas, mecum tandem statui, ab his, qui Protestantes Lutheranorum coetui addicti sunt, tenendam esse publicam doctrinam, (doctrinam dico, non methodum, vocabula, argumenta singula, et singulas locorum scripturae sacrae interpretationes) quam Augustana Confessio nostram esse perhibuit, eiusque apologia confirmavit et vberius edisseruit: quoniam, (ceteras quidem causas nunc commemorare nolo) ea tenenda,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0019
DFG

non modo certa ciuitatis iura, huic conditioni innixa, obtinentur, quorum prodigus nemo bonus ciuis esse debet; sed et libertas interpretandi sacram scripturam, et examinandi discernendique singula, diuina appellandi diuina, et humanis tribuendi nomen humanorum, libertas item in ritibus ecclesiasticis retinetur, ciuitatum denique rectoribus sua iura vindicantur. Quae bona permagna sane nobis negatum ibunt alii, si, non dicam abiecta penitus a nobis coetus nostri publica doctrina, (quis enim serio ausit, aut iure possit eam penitus abiicere?) sed passim irrisa, spreta et deserta, clamare se posse suspicati fuerint, quantumuis temere et inique, nos nolle porro esse illos ipsos, quibuscum pacta publica inita sint. Sed vt ad historiae vtilitatem reuertar, publica illa doctrina, ad quam agnoscendam historia ducit, ita comparata est, vt in aliquibus capitibus doctrinae discernat coetus diuersos, et discrimen illud diserta declaratione significet. Ea diuersitas censetur propositionibus contrariis, qualis est de causa et sensu iustificationis: notionum quarumdam et sententiarum constituendarum modo, vt fit in notione bonorum, quae dicuntur, operum, et sententia de causis necessitatis eorum: verbis certis receptis, vt breuiter ex iis agnoscatur sententia coetus, quale est vnionis sacramentalis nomen in loco de coena sacra. Est vero et haec indoles publicae doctrinae, vt, qui in eodem coetu diuersa docent, discernantur, praeferaturque vnius partis sententia alteri: cuius generis multa sunt, quae Concordiae Formula pertractauit. Ita cum com-

comparata sit publica doctrina, et huic potissimum consilio destinata: necesse est tenere, quare haec ita maxime constituta sint, ideoque etiam alterius partis sententiam sibi bene cognitam reddere. Nemo enim coetus nostri publicos libros intelligere potest, nisi theologiae scholasticae, et ex ea ductae pontificiae, gnarus sit, aut, ob Concordiae Formulam, adierit Caluinianorum vel Lutheranorum eos scriptores, contra quos ibi disputatur. His vero perspectis, omnia sponte intelliguntur, cum quid nostri publice approbarint, tum causae ita potissimum docendi, contrariam sententiam improbandi, et his, non item aliis, verbis formulisque vtendi. Cum autem nonnullae partes librorum coetus nostri symbolicorum, nominatim apologia Confessionis Augustanae et Formula Concordiae, non modo ponant profiteanturque, quid nos statuamus; sed partim per argumenta rem edisserant, partim ex historia vel scholasticae theologiae et philosophiae, vel dissensionum, post Lutherum inter nostros exortarum, illustrent, et quid, cui, quare opponant, cur ita sentiant, ita loquantur, diligenter indicent: debui futuros coetus nostri doctores saepe ad hos libros amandare, partim vt sciant, quid ab ipsis postuletur, partim vt origines horum omnium inquirant, nec aliquid curae in causis cognoscendis reliquum faciant. Vt enim illud est officii et bonae fidei, ita hoc refertur ad partes iustae subtilitatis.

Sed fuerunt etiam, qui nobilissimis libris cum de vniuersae doctrinae christianae enarratione, tum

* *

de nostri coetus formula et modo, praeclare meruerent, breuius in publicis libris dicta suis scriptis copiosius tractarent, cum historiae indagatione defensionem ipsius rei coniungerent lectoribusque, laboris et morae patientibus, subtilitatem veram multis modis probarent: vt Melanchthon, Martinus Chemnitius, Ioannes Gerhardus, Georgius Calixtus, Ioannes Musaeus, Ioannes Huelsemannus, aliique. Hos scriptores prae ceteris nosse opus est, cum posteri fere vestigia eorum non in sententiis tantum, sed et in ratione atque modo rerum exponendarum secuti sint: vt subinde rata veluti ac certa methodus cum systematis vniuersi, tum singulorum articulorum introduceretur. Quis autem subtilitatis et eruditionis theologicae studiosus, quis formulae coetus nostri cognoscendae cupidus, si viderit tantam compendiorum copiam, malit vni alicui eorum adhaerescere, et iam videri sibi rem tenere, quam ad illorum virorum libros redire, qui tanquam fontes fuerunt, vnde tot compendia manarunt, qui velut exemplaria proposuerunt, ad quae ceteri suos libellos, ipsos adeo hos, qui populari institutioni scripti sunt, conformarunt?

Omnino doleo, libros veterum theologorum, qui, a Melanchthone inde, ante exitum superioris seculi floruerunt, a paucis hodie legi tractarique, a nonnullis ignorari, a multis cum contemtu et indignatione abiici. Nam magna rerum copia abundant, incredibili cum studio ex antiquitate

quidque repetunt, causam ipsam et rem cum incomparabili diligentia constituunt, pollent dialectica subtilitate singulari, omnia in vtramque partem examinant, et in contrariis argumentis pariter atque in suis sunt vberrimi, vtuntur suo sensu et iudicio, saepe liberrime iudicant, et cum summa aequitate concedunt, posse in rebus, ad methodum, historiam, consuetudinem pertinentibus, in obscuris, ambiguis, in vocabulis ecclesiasticis, in constituendis notionibus ac sententiis, aliter aliquid dici aut fieri, atque in transitu, et summa cum modestia, adspergunt aliquid de eo, quod reflat, quod nondum satis liquet, denique indicant modestissime, sine vllo strepitu, quo modo res videatur posse aliter tractari constituique. Quae quidem bona magna et multa compensant molestiam, legendis eorum libris interdum subeundam: siue perpetua necessitas aut voluntas contra alios disputandi, in amplis interdum voluminibus veluti regnans, inuitum detineat lectorem in assiduo controuersiarum spectaculo; siue aucta copia dissensionum, inter ipsos coetus nostri theologos, saepe inutiles rixas spectandas exhibeat. Equidem illa bona intuens, eorumque occasionem saepius e controuersiis enatam agnoscens, ipsis bonis vtor, molestiam passim exortam multiplicis fructus suauitate abstergo, et lubens profiteor, saepenumero me mirari Melanchthonis sagacitatem in causis errorum ex historia eruendis, quae deinde et in Calixto fuit, aut opinionis falsitate deprehendenda in latebris scholasticae philosophiae, quae sua placita to-

ties in locum christianae doctrinae intrusit, me viri eiusdem sapientissimam curam aemulari, qua subtiliter dicta conuertere vbique populariter in vsus exercendae religionis allaborat: profiteor, saepius me venerari Martini Chemnitii acumen in discernendis disiunctis, remouendis alienis, quaestione informanda: Ioannis Gerhardi copiam et apparatum, libertatem et aequitatem sentiendi: Ioannis Musaei eximiam plane vim penetrandi in abdita, et cum puluisculo excutiendi, quid sit, quid non sit, vrgendi lectores eo, quo tum maxime respiciendum est, nec dimittendi, donec in omnem partem satisfactum sit quaestioni. Et o quam mallem, extremo seculo superiore, et hoc ineunte, plures se ad illorum virorum exemplaria composuisse, nec veluti per manus traditum systema reperiisse, seposita cura examinandi, addendi, aptius dirigendi, certius constituendi: nec dictatis suis, quae theses, distinctiones, argumenta semel vsitata, interpretationes semel receptas, ieiuno fere sermone syllabatim repetebant, veluti submouisse meliores illos veterum libros copiosos, cogitandi et examinandi seueros magistros. Nam cum quisque recentiorum illorum putaret, se debere idem dicere, quod dixerant ante eum alii: displicuit Spenerus, suo vtens iudicio, et humana systematis studiosius secernens a diuinis doctrinae ipsius: offensioni fuit Pfaffius, historiae adminiculo adiutos monens, non ita se habere quaedam, quae tamquam rata et sacrosancta vulgo probabantur: quibusdam se non probauit Buddeus, lenior

interdum in concedendo, et philosophiae bona in theologiam transferens, vel ad ἀκρίβειαν explicandi, vel ad copiam: nimius interdum visus est Moshemius, historiae lucem opinionibus admovens. Idem ego mallem, hodienum plures illorum antiquiorum, quos in praesenti laudo, exemplaria aemulari. Quorum libri si studiosius a plerisque legerentur, nonnulli multa non miraturi essent, tamquam noua, quae dudum scripta sunt; non exclamaturi essent, vbi in alicuius hodierni scriptoris libro aliquid legerunt, hunc primum id dixisse, quod dudum alius dixerat; parcius indignaturi essent liberius sentientibus, cum iidem illi viri, quos magni facimus, quos nullius pruritus suspectos habemus, satis libere iudicauerint; non appellaturi essent leniores erga secus sentientem viros praecones patronosque errorum, cum et illi viri saepe satis lenes fuerint. Eorumdem librorum lectio allatura esset aetati nostrae in commune hunc fructum, vt maior modestia retineret multos, cruda studia protrudentes, maior erga doctrinam diuinam ipsam verecundia compesceret impudentes scriptores, leuitate cum insigni arbitrium suum interponentes, vt vteremur nostri temporis bonis permultis, et nostri seculi scriptores meritissimos veneraremur, non ignoratis tamen priscae aetatis commodis et doctoribus praestantissimis, profecto haud paucis, vt maiores hodie progressus factos laeti cerneremus, non nescii tamen limitis, ad quem vsque veteres iam progressi fuerant, vt quidnam tandem veteres aedificassent, quid hodie

varii diruerent et disturbarent, nossemus, vt manibus palparemus, ab istis doctrinae turbatoribus recitari nonnumquam sententias, vt nostro coetui nostrisque theologis propriias, et cum strepitu deinde refutari, quas vnus quidem et alter, sed non coetus ipse publice proposuerat, quas non esse nostras, veteres illi centies declarauerant, quas aliter explicauerant. Ergo ego, quod potui, feci, et per integrum hunc librum illorum theologorum scripta consulto indicaui.

Reddita iam ratione consilii, quod in elaborando hoc libro secutus sum, descriptisque simul partibus subtilitatis in discendo, et commendata seueritate, optandum est, vt liber ipse nanciscatur aequos lectores, his autem, quibus destinatus est, nonnihil emolumenti iuuante Deo adferat.

Scr. Lipsiae. A. 1789.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0026
DFG

PRAEFATIO
ALTERIVS EDITIONIS.

Aucta quidem passim est haec editio; sed non ita, vt prima redderetur inutilis. Nam tantum modo varii loci e sacris libris, hic illic, confirmandae vel illustrandae alicuius doctrinae causa, additi sunt, librorumque non nullorum, de vno et altero capite doctrinae scriptorum, mentio facta est. Interdum, quae in prima editione tantum per partes explicata erant, in hac altera etiam collecta sunt in definitionis summam, vt analysis et synthesis comparari possent, illa populari institutioni, haec subtilitati et scholae destinata. Quaedam, quibus aliquid ad perspicuitatem deesse videbatur, dilucidius scribere, aut, si qua passim esset a verbis ambiguitas, eam remouere studui, aut nectere serie notionum dialectica, si quaedam melius ita necti possent. Horum non nulla, quae ipse interpretando nuper libello animaduerteram, vel ideo addenda aut mutanda iudicaui, vt paratior esset atque certior studiosis literarum repetitio. Alibi obtemperaui amicis, et iis viris doctis, qui me amanter et humaniter aut sermone, aut epistolis, aut per ephemeridum opportunitatem, monuerant. Nam

amanter monentem, quis non libenter audiat, praesertim si verbo satisfieri monitoribus possit? Quod autem horum ipsorum non omnibus admonitionibus, quantumuis humanis, obsecundaui, id non factum est mea sentiendi contumacia, aut monentium contemtu: sed norunt experti, in repetendis librorum editionibus non posse pluribus de causis, quae singuli, interdum plane contraria sibi inuicem pronunciantes, mutanda, aut addenda, aut tollenda censuerant, ea illico mutari, aut addi aut tolli: vt mittam, quemvis suo etiam sensu atque iudicio vti, sibique constare debere.

De reliquo precor Deum, vt, qui religionis christianae doctrinam in futuros docendi vsus discunt, his libellus prosit aliquid ad huiusmodi praeparationem, excitet voluntatem vlterius progrediendi, conformet facultatem accurate omnia examinandi, adiuuet ordinem atque diligentiam discendi, ac perspicuitatem docendi, inprimisque verecundum cum sacris libris consentiendi studium confirmet. Precor vero etiam Deum, vt res bene perceptas cum ipsis literarum studiosis, tum futuris eorum auditoribus, pietatis adminiculum fieri velit.

ORDO

ORDO ET ARGVMENTVM LIBRI

PROLEGOMENA

Sect. 1. De notione religionis in vniuersum.
Sect. 2. De notione religionis reuelatae.
Sect. 3. De vocabulo theologiae, et nonnullis, quae inde sequuntur.
Sect. 4. De scriptura sacra, et auctoribus eius fide dignis.

PARS PRIMA

De Deo, et operibus eius, ad vniuersum pertinentibus.

Cap. 1. De notione et natura Dei.
Cap. 2. De Patre, Filio, et Spiritu Sancto.
Cap. 3. De creatione vniuersi.
Cap. 4. De prouidentia.

PARS SECVNDA

De Angelis.

PARS TERTIA

De genere humano.

Cap. 1. De origine generis humani, et hominum primorum felici conditione, sed posthaec immutata.
Cap. 2. De humani generis imperfectione morali, nexa inde miseria, et auxilii necessitate.

PARS QVARTA

De gratia Dei salutari.

Cap. 1. De notione et natura huius gratiae, et consilio Dei eam exhibendi.
Cap. 2. De Seruatore hominum.

***

Sect. 1. Quis et qualis fuerit Seruator.
Appendix sectionis agit de communicatione idiomatum.
Sect. 2. De negotio, quod Seruator his in terris peregit.
Appendix agit de vocabulo satisfactionis, diuisione obedientia Christi, et nomine meriti Christi, et statvs exinanitionis.
Sect. 3. De negotio Seruatoris, iam Domini nostri. Corollarium de statu exaltationis.
Appendix agit de methodo exponendi locum de Christo nomine muneris triplicis.

PARS QVINTA

De his, quae a nobis obseruanda sunt, vt salutari gratia potiamur.

Cap. 1. De notione et natura fidei, et iustificatione fidem consequente.
Cap. 2. De notione et natura immutationis moralis, siue emendationis studiorum animi et vitae.
Cap. 3. De doctrina diuina, fidei et emendationis adminiculo.
Appendix agit de legis et euangelii vsu.
Cap. 4. De baptismi notione, et coniunctione cum religione, nominatim cum pietate.
Cap. 5. De coenae sacrae notione, et copulatione cum religione, nominatim cum pietate.
Appendix agit de vocabulo sacramenti, et sacramentorum numero.

PARS SEXTA

De Ecclesia.

PARS SEPTIMA

De hominum sorte, post mortem futura, et rebus adiunctis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0030
DFG

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

De notione religionis in vniuersum.

I.

Omnino religionem in homine aliquo esse, eique adscribi posse, tum iudicamus, cum in illo homine est partim cognitio Dei[1]) rerumque diuinarum[2]), partim cultus Dei, ortus ex hac cognitione, eique consentaneus. Constat igitur religio et cognitione, et cultu Dei.

1) naturae Dei.
2) eorum, quae egit agitque, nominatim creatis rebus tribuit.

2. Colitur Deus ab homine tum, cum homo habet sensus animi, nexos ex illa cognitione[1]), et vitam ei conuenientem viuit[2]). Inde cultus Dei est interior et exterior.

1) Quales sunt, admirari Deum, reuereri, ei gratum esse, eo laetari, eum redamare, eius consiliis se accommodare, omninoque ad Deum respicere. (Gesinnungen gegen Gott, und Empfindungen ueber ihn, die zusammen den religioesen Sinn ausmachen. vid. Ernesti de disciplina christiana.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0031
DFG

Reinhards Syſtem der chr. Moral. §. 182.) In SSa et ſinguli huiusmodi ſenſus, et tota mentis conformatio, dicuntur לב, φρόνημα, καρδία, πνεῦμα.
2) Hoc vtrumque in SSa dicitur φόβος θεοῦ, δουλεία, λατρεία, θρησκεία, εὐσέβεια, δοξάζειν et τιμᾶν τὸν Θεόν.

Ergo colere Deum, non eſt, praeſtare Deo aliquid, vt accipiat et habeat, vtilitatem aliquam ei afferre: nec eſt, exhibere Deo honorem, vt altiore loco poſitis hominibus exhibetur: nec eſt, ritus certos per ſe obſeruare; nec eſt, agere vnum aut alterum eorum, quae agenda ſunt.

3. Doctrina, tradens cognitionem atque cultum Dei, ſeu complectens res, ad Dei cognitionem cultumque pertinentes, eſt doctrina religionis.

4. Cauſae, cur homines cognoſcere atque colere Deum debeant, ſunt hae: quia per Deum ſunt, et conſilio certo ſunt[1]), nec, eo nolente, permanere poſſunt: rurſus quia per eumdem acceperunt accipiuntque, quidquid habent, nec, eo nolente, habere poſſunt[2]): denique quia magna vtilitas huius cognitionis et cultus redundat ad hominem, atque adeo omnis inde oriens vtilitas ad hominem pertinet. Foret ergo ſummae leuitatis, eum ne noſſe quidem, per quem es, permanes, et tua habes: ſummae incogitantiae, non reputare, quo inſtituto et conſi-

lio sis, permaneas, et tua habeas: summae vanitatis, eius instituto et consilio te non accommodare, inter quem et te insolubilis intercedit necessitudo: summae imprudentiae, tuum ipsius repudiare commodum, idque magnum.

1) Spalding ueber die Bestimmung des Menschen. Tubing. 1782.

2) Pendent igitur homines a Deo.

5. Deus cognitioni et cultui sui, siue religioni, occasionem[1]) praebuit eo, quod nos tot rebus circumdedit, et sensibus atque ratione instruxit, quorum beneficio experiri et obseruare nosmet ipsos[2]), atque res externas, et inde concludere possumus, quae ad religionem ducunt: [veluti, esse auctorem horum omnium, eumque excellentem sapientia, benignitate, vi; exhibuisse eum nobis nominatim beneficia, eaque insignia; certo nexu, modo et ordine exhibuisse; esse iam his de causis a nobis de eo sic potissimum, non aliter, statuendum, et, cum ad eum respicimus, hoc potissimum, non aliud faciendum[3]).]

1) Adminicula religionis parauit, et modum eius adipiscendae constituit.

2) Non modo qua corpus, sed et qua vires animi vniuersas, nominatim facilitatem illam sentiendi ac discernendi rectum et prauum. Rom. 2, 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0033
DFG

3) Rom. 1, 20. *id, quod cerni nequit, fit animo adspectabile, dum cogitando per opera cognoscitur,* τοῖς ποιήμασι νοούμενον. Act. 14, 15 sqq. 17, 24 sqq. (οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκε, *voluit exstare documenta sui.*)

6. Haec experiri et obseruare, et inde argumentari, est, ad religionem peruenire *contemplanda rerum natura.* Ergo natura contemplanda, seu mundo contemplando cognita et orta religio dicitur *naturalis.*

7. Ea est vtique cognoscenda. Nam quilibet, vel paululum adiutus, cognoscere potest: vtilis est cognitu, quia ducit ad sapienter recteque agendum, et ad recti pravique discrimen agnoscendum, cum perpetuo ad Deum respectu: decora est homini, non adspectabilem Deum velut in conspectum adducenti sibi*): late tractatur in SSa, praesertim in multis V. T. locis.

*) Rom. 1, 20. τὸ ἀόρατον καθορᾶται.

8. In ea cognoscenda homines multa ignorarunt, multa errarunt, siue de Dei, siue de officiorum natura iudicarent. Quae quidem ignoratio, vna cum erroribus, pessimam vitam genuit[1]). Hactenus ergo et his non *perfecta* fuit naturalis religio. Multi tamen, quamquam tardius et serius, progressi sunt ad veriora et plura: pauciſſimi ipsi cogitando eo deuenerunt[2]).

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0034
DFG

1) Rom. 1, 21 — 32.

2) vid. Tobiae Pfanneri syſtema theologiae gentilis purioris. Baſil. 1679.

9. Vnde Deus non exſpectauit, donec homines omnes ad talia cognoſcenda contuendo et cogitando mundo peruenirent; ſed, vt ab aliquibus maturius diſcerentur, curauit. Nec omnes promiſcue errare paſſus eſt; ſed erroribus occurrit. Vtrumque ita fecit, vt aliis atque aliis temporibus quosdam[1]) ſingulari procuratione moneret, ſiue ad notitias deduceret, ſed ſimpliciter[2]) moneret, ſe eſſe, ſe auctorem omnium, ſe ſummum eſſe, ſic ab hominibus agendum eſſe.

1) vid. hiſtoria patriarcharum, (cf. programma 1. 2. 3. de notitia religionis, cum rebus in facto poſitis copulata) gentis Iſraeliticae, a Moſe et prophetis edoctae, paganarum gentium, ab apoſtolis eruditarum.

2) ſine ambage demonſtrandi et concludendi, ſed docendo et *ponendo*, ita eſſe.

10. Ergo ſic quoque religioni occaſionem praebuit (§. 5), dum ſui cognitionem propius, et ſine ambagibus, obtulit et admouit hominibus[1]), cum ad diſcendi celeritatem, tum ad veritatem et copiam rerum. Quae quidem benignitas diuina ſumma ſummo opere laudanda eſt. Quid enim

futurum fuiſſet, ſi Deus ne vnum quidem hominem vmquam ad haec cognoſcenda adiuuiſſet, ne ſemel quidem peruagatam terras ignorantiam ſiſtere voluiſſet [2])?

1) Naehere Belehrung von dem, was die Menſchen langſam oder nicht wuerden bemerkt haben, oder worin ſie wirklich irreten.

2) Hodierna naturalis religionis forma indicat, quid ab hominibus ratione duce cognoſci poſſit, et ab noſtris hominibus cognitum ſit: non indicat, omnium aetatum homines, barbaros adeo, id ipſum hoc ambitu reuera cognouiſſe.

11. Hiſtoriam et ſummam illius cognitionis, ſingulari procuratione Dei propius admotae hominibus, tradunt noſtri libri ſacri.

Cf. Leſs Geſchichte der Religion. Götting. 1784. 8.

Scriptores de religione naturali recenſent Noeſſeltus (Anweiſung zur Kenntniſs theol. Buecher. §. 176 ſqq.) et Keilius (Verzeichniſs theol. Schriften. p. 109 ſqq.)

PROLEGOMENORVM

SECTIO II.

De notione religionis reuelatae.

1.

Iidem libri sacri huic summae rerum sic cognitarum res alias adiungunt, et ipsas pertinentes ad cognitionem cultumque Dei, ad quas homines non peruenturi fuissent concludendo e rerum natura, et quas ne nunc quidem necessaria consecutione inde possunt concludere, vt necessarias*).

*) Neue Belehrung ueber das, was die Menschen nicht ausſinnen, oder durch Schlueſſe finden konnten.

Huiusmodi institutio solet dici *positiua:* non, quasi Deus pro lubitu mero haec scienda et admittenda proposuerit; (talis enim lubitus merus in Deum non cadit;) sed quod a nobis non possunt demonstrari, vt necessaria, ex his, e quibus nos necessitatis demonstrationem petimus. Nostro igitur cognoscendi modo dicuntur interdum arbitraria: melius, libere instituta et proposita a Deo, qui et aliter potuisset instituere, nec pendet e nostris demonstrationibus. Cf. Ernesti vindiciae arbitrii diuini.

Non impedit nostra necessitatis ignoratio, et ἀποδείξεως ἀδυναμία, quo minus esse possint, sint, et ad nostrum commodum faciant.

2. Huiusmodi doctrina haec est: Deus generi humano, excepto nemine peccanti[1]),

et inde necessario infelici[2]), egentique venia et emendatione, amantissimus tamen hominum[3]), per certum aliquem[4]), Iesum[5]), per certi huius certa facta[6]), certa conditione[7]), ita salutifer esse vult, vt desinant esse infelices[8]), adeptique veniam et emendationem reddantur felices[9]), maneantque in aeternum.

1) Rom. 3, 13 — 18.

2) Rom. 3, 19. 23. cap. 7, 15. 24.

3) Ephes. 2, 4.

4) Act. 4, 12. Non per alium, sed per hunc, eumque singularibus de causis longe eminentiorem rebus omnibus creatis.

5) 1 Io. 5, 5 sqq.

6) Docere, mortem oppetere. Io. 5, 36.

7) Si probent, quae Iesus docuit (Io. 3, 36): si ab amore Dei exspectent, quae ob mortem Iesu promisit (Io. 3, 16): si, ne temere exspectent, doctrinam eius sensu et vita expresserint. (1 Io. 1, 7.)

8) μὴ ἀπολέσθαι.

9) ζωὴν ἔχειν.

3. Hanc rem nominant scriptores sacri incognitum hominibus consilium Dei[1]), sed soli Deo notum[2]), et notitiam huius rei, hominibus impertitam, appellant reuelatam.

1) μυστήριον, quod homines nec sciunt, nec scire sponte possunt, nisi detegatur, ἀποκαλύπτηται, γνωρίζηται, φανερωθῇ. Ephes. 1, 9. 1 Cor. 2, 7. Rom. 16, 25. Col. 1, 26.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0038
DFG

2) τὸ βάθος τῦ Θεῦ. 1 Cor. 2. 9. 10. ἀποκεκρυμμένον ἐν τῷ Θεῷ. Ephes. 3, 9. Io. 3, 13. *nemo caelum adiit, et* veluti cum Deo ibi collocutus *audiit, quid facere Deus decreuerit.*

4. Nempe *reuelatio* omnino est detectio rei, institutio de re, quam homo nescit[1]): interdum detectio rei, quam scire homo non potest[2]): nominatim vero, et strictissime, et κατ' ἐξοχήν reuelatio, seu doctrina reuelatae religionis, est expositio certi consilii Dei de hominum salute[3]), et annexarum doctrinarum, quod consilium cum annexis doctrinis hominibus ex ambitu religionis naturalis innotescere non potuit[4]), nec innotuit.

1) Gal. 1, 15. 16. Phil. 3, 15.
2) 1 Cor. 2, 9. 11. Amos. 3, 7.
3) Cf. §. 2.
4) siue, quod non potuerunt necessaria conclusione eruere e rerum natura.

Non omnia, quae in SSa leguntur, sunt reuelata, verbo κατ' ἐξοχήν dicto.

Interdum vniuersa doctrina prophetarum et apostolorum de religione inter nos nominatur reuelatio. (Non satis accurate). Atque adeo Deus, qui mundo creando praebuit occasionem naturalis religionis cognoscendae, dicitur φανερῶσαι ταῦτα. Rom. 1, 19. Discernenda igitur vis verbi, strictius dicti, ab significatu latiore et vario.

Reuelata religio non ponitur contraria naturali, aut contradictoria; sed accessit ad naturalem, partim repetendo confirmandoque, partim noua addendo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0039
DFG

Haec doctrina de hoc consilio Dei detecto, cum his, quae ei annexae sunt, et vnice inde sequuntur, et cultus Dei, per has doctrinas formatus, sunt *propria christianae religioni* (die eigenthuemlichen Lehren des Christenthums, das eigentliche Christenthum). Haec qui non admittit, quippe adquiescens naturali religione, solet Naturalista vulgo nominari. (Walchs Einleit. in die Relig. Streitigk. p. 692. Ouvrier Geschichte der Religionen. p. 29. Omnino de aduersariis christ. religionis vid. Trinius Freydenkerlexikon.)

Quae doctrina tantum e SSa discitur, et proprie revelata est, eam nominare solent *puram:* sed quae aeque cognosci potest naturalis religionis adminiculo, et tamen tradita in libris sacris exstat, ea dicitur *mixta.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0040
DFG

PROLEGOMENORVM
SECTIO III.
De vocabulo theologiae, et nonnullis, quae inde sequuntur.

I.

Etsi hoc vocabulum proprie significat omnem doctrinam aut institutionem de Deo et cultu Dei, ideoque *theologia* proprie *versatur in religione cognoscenda atque tradenda*, neque necesse est, per se de vocabulo hoc multa dicere[1]): tamen inualuit vsu, vt theologia inciperet appellari subtilior (doctior, acroamaticus) modus[2]) discendae tradendaeque doctrinae de Deo eiusque cultu, *subtilior religionis expositio*, comprehenso simul omni eruditionis apparatu, quem subtilitas illa postulat, et vt ita discerneretur theologia non a religione, (neque enim proprie intelligi potest theologia, quae non versetur in religione) sed a modo eo discendi docendique religionem, qui populari intelligentiae accommodatus (catecheticus) est.

1) De ampla verbi vi cf. Suicerus in Thes. Eccl. h. v.

2) Hunc subtiliorem modum nominarunt veteres christianorum doctores vt plurimum γνῶσιν, eiusque peritos γνωστικούς, posueruntque in coniunctione philosophiae paganae cum doctrina christiana (vid. Rosenmueller de origine theologiae christianae. Lipſ.

1786. vbi et summa Tittmanniani libelli de discrimine relig. et theol. proponitur): Scholastici philosophi in coniunctione Aristotelicae philosophiae cum religionis doctrina, et in forma rerum tradendarum, composita ad Aristotelis normam, et in quaestionum difficilium examine. (vid. Buddei Isagoge. Pfaffii introd. in histor. theol. literariam.) Equidem studui quodammodo formam subtilitatis describere in Diss. p. 239. Cf. Heinrichs Geschichte der verschiednen Lehrarten. Lipf. 1790.

2. Eruditione theologica opus esse inprimis doctoribus religionis, cum ad docendum, tum ad defendendum, ad indagandas item origines verborum arti propriorum, sententiarum, methodi ad discernenda necessaria a minus necessariis, tradita in sacris libris ab accessionibus humanorum ingeniorum, non eget oratione longa*).

*) vid. praefatio huius epitomes.

3. Necessaria doctrinae de religione capita (§. 2.) sunt, sine quibus religio, in sacris literis obuia, ne locum quidem habet, aut, quibus demtis, non est amplius illa ipsa religio[1]). Essentialia nuncupat vsus, et *fundamentales* articulos: cum hoc tamen discrimine, vt alii tradant directe necessarias de religione doctrinas[2]), alii cum his cohaereant propiore aut remotiore nexu[3]).

1) Ex hoc genere sunt, quae sect. 2. §. 2. exposui: item doctrina de vno vero Deo, creatore, conser-

vatore, gubernatore omnium, eodemque vno datore verae felicitatis, et nos praeparante aeternitati.

2) v. c. modo nominatae in not. 1. doctrinae. Nominantur loci *primarii*.

3) v. c. prouidentiam diuinam interdum vti angelorum ministerio: omnino esse, praeter homines, alias naturas intelligentes, easque bonas malasue. Hos nominant *secundarios* locos.

Vulgo *fundamentales* ita definiunt, qui salua fide et salute ignorari non possunt: *primarios* ita, qui salua salute nec ignorari, nec negari possunt: *secundarios* ita, qui ignorari salua salute possunt, sed cogniti semel non debent negari.

4. Minus necessaria sunt, aut ipsam doctrinae ὀσίαν non ingrediuntur, quae vel quaeri solent a theologis προβληματικῶς, (veluti de redeuntium in vitam corporum indole, de modo iudicii extremi, de notione interitus mundi), vel tractantur tantummodo θεωρητικῶς, (vt de communicatione idomatum Iesu Christi). Hi loci dicuntur *non fundamentales*, ad quos alius plures, alius pauciores, alius alios refert.

Studium acrius discrimina haec locorum constituendi, et constituta defendendi, debetur magnam partem controuersiis. (v. Nicol. Hunnii diascepsis de fundamentali dissensu doctrinae Lutheranae et Caluinianae. Viteberg. 1663. 8.) Non debetur locis SSae, in quibus vel elementa doctrinae nominantur θεμέλιον (Ebr. 6, 1): vel id, quo nititur omnis institutio de religione christiana, et quo respicere omnes doctores debent, si velint religionem christianam tradere (1 Cor. 3, 11): vel integra do-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0043
DFG

ctrina prophetarum et apostolorum, quae si exsulet e coetu, non est coetus christianus. (Ephes. 2, 20).

5. Cogitabit etiam doctor religionis, quemadmodum in quauis disciplina spectatur perpetuitas et constantia, [h. e. ne quid in ea tradatur, quod repugnet propositionibus, in ea disciplina perspicue et euidenter exstantibus, et vt omnia cum illis euidentibus et perspicuis propositionibus, tamquam norma iudicandi, bene cohaereant], sic item fieri in religionis doctrina debere. Summa illarum propositionum, euidenter et perspicue exstantium in SSa, nominatur analogia doctrinae (πίστεως), quatenus est norma iudicandi de ceteris[1]), et veluti typus doctrinae. Quod cum illa summa conuenit, id dicitur ἀνάλογον doctrinae (τῇ πίστει)[2]).

1) Cf. Ernesti interpres N. T. p. 54. „(Longe aliter autem veteres ecclesiae doctores *regulam fidei* dixerunt: vt accurate ostendit Rosenmueller de origine christianae theol. p. 82 sqq.)

2) Rom. 12, 6. haec verba plane alium sensum habent. Etiam Rom. 6, 17. τύπος διδαχῆς potius est *exemplar*, ad quod quis se conformat, quod approbat, admittit, sequitur, in statuendo agendoque.

6. Cogitabit et illud, se, prae studio subtilitatis et apparatus doctrinae theologicae, numquam obliuisci eorum debere, quae propria sunt christianae religioni[1]), et

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0044
DFG

tamquam fundamentum, cui ſuperſtruantur omnia: quo item omnis cura et opera doctoris pertinere debeat[2]): ſe illius omnis apparatus hunc fructum quaerere debere, vt et ducatur ad ſimplicitatem, perſpicuitatem, ἀκρίβειαν, argumentorum firmitatem, et diſcernat accommodatam ad vſus omnium inſtitutionem a ſchola, atque ita popularem intelligentiam, et exercitium religionis, et experientiam adiuuet[3]): ſe eas notiones et propoſitiones, quae vniuerſae ſunt, facere fundamentum iudicandi et docendi debere, et cum ceteris comparare, quae rem tantum aliter exprimunt, aut eius tantum partem indicant, non autem e quouis verbo, aut e quauis propoſitione, diuerſos articulos eruere debere[4]).

1) vid. §. 3. not. 1. et Sect. 2. §. 4. ſchol.
2) 1 Tim. 4, 16. σώζειν τὰς ἀκούοντας. Epheſ. 4, 11 ſqq.
3) vid. Diſſertt. p. 328. 349. et Progr. de homine, ſubmittente ſe Deo.
4) vid. Diſſ. p. 239. Summam totius rei exponit perſpicue Noeſſelts Anweiſung zur Bildung angehender Theologen. P. 2. §. 442.

Non opus videtur, multis hic deſcribere ſingulas theologiae diſciplinas, dogmaticam, moralem, polemicam, exegeticam, homileticam, catecheticam, paſtoralem, ſymbolicam. De dogmatica, quam haec epitome tractat, et notione dogmatis, vid. praefat. p. 5.

PROLEGOMENORVM
SECTIO IIII.
De Scriptura Sacra, et auctoribus eius fide dignis.

I.

Scriptura sacra est complexus librorum, a prophetis, euangelistis et apostolis scriptorum, et continentium doctrinam religionis, singulari modo diuinitus traditam [1]), atque huius historiam fide dignam [2]).

1) Deus non omnia quidem, quae illi viri docuerunt, ipse demum iis detexit; sed *partim* (quaedam iis *detexit*, *partim singulari procuratione* (Veranstaltung) *adiuuit*, vt ea, quae docuerunt, in notitiam generis humani *singulari modo* per hos ipsos viros venirent. Cf. Proleg. Sect. I. §. 10. Sect. II. §. 1.

2) Toellner von Eingebung der Schrift. §. 19.

2. Quaerendum ergo est ante omnia, quas ob causas *viris* ipsis, docentibus et narrantibus, fides habenda sit, ac nominatim, quare sibi fidem haberi postulent (§. 23). Quae si habenda iis est his de causis, quam si non temere postulant: consequitur, *libris* eorum genuinis similiter his de causis fidem habendam esse (§. 24.).

3. Apo-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0046
DFG

3. Apostolos Christus ipse suam doctrinem suo ipsius nomine, vt testes et spectatores vitae doctrinaeque suae[1]), per terrarum orbem tradere voluit[2]): ipse eos huic negotio ita praeparauit, vt, per triennium comites et interioris admissionis discipulos, singulari cum cura planius edoceret[3]), et passim docendi periculum facere iuberet[4]).

1) Io. 15, 27.
2) Io. 20, 21. Matth. 28, 19. 20.
3) Matth. 13. tot. Marc. 4, 10 sqq. Io. 17, 6. 7. 8. 14. cf. Dissertt. p. 391.
4) Matth. 10. tot.

Scriptores de vi vocabuli ἀπόστολος, ad hos viros duodecim translati, recensuit Rumpaeus in commentatione crit. ad libros N. T. p. 30.

4. Proinde hi maxime viri, his maxime de causis, non modo debuerunt nomine Christi fungi negotio homines omnes docendi; sed potuerunt etiam historiam eius sermonesque, doctrinam continentes, optima fide referre.

5. Reditus Christi in vitam residuas in eorum animis dubitationum obscuritatisque nebulas ipso facto dispulit[1]): et rediuiuus Christus apostolos denuo erudiuit[2]), negotium omnes homines edocendi tandem in-

choare iussit[3]), auxilioque diuino singulari plane idoneos docendo tradidit[4]).

1) Io. 16, 23.
2) Act. 1, 3. Luc. 24, 27, 44 sqq.
3) Matth. 28, 19.
4) Luc. 24, 49. δύναμιν ἔλαβον. Act. 2, 1 sqq. cf. 2 Cor. 3, 6. ὁ Θεὸς ἱκάνωσεν αὐτὰς (apostolos: nam de his h. l. sermo est).

6. Huius auxilii adipiscendi causa promisit iis Spiritum, nomine adiutoris[1]), impertituri iis non diuersam ab institutione Christi doctrinam, sed cum ea consentientem[2]), atque adeo continuaturi inchoatam a Christo doctrinam, vt bene meminissent eorum, quae Christus docuerat[3]), vt, ad ampliorem scientiam prouecti, omnem doctrinam vere, plane vt est, perspicerent[4]), vt futurorum quorumdam notitiam nancisscerentur[5]), vt denique facerent interdum, quae vulgo non sunt penes homines[6]).

1) Io. 14, 16. 26. et 16, 7. cf. Act. 1, 5. παράκλητος est omnino adiutor in vllo aliquo genere. vid. Io. Camero ad Io. 14, 16.
2) Io. 16, 15. λήψεται ἐκ τοῦ ἐμοῦ, ἐκ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλήσει. Chrysost. ad h. l. συνῳδὰ τοῖς ἐμοῖς ἐρεῖ.
3) Io. 14, 26.
4) ibid. et 16, 12. 13. et 14, 17.
5) Io. 16, 13.
6) Marc. 16, 17. cf. 1 Cor. 12, 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0048
DFG

Quo modo per Spiritum sensim (neque enim vno die factum est) edocti sint, id nuspiam describunt: interdum exemplo illustrant. Act. 10, 11 sqq.

7. Idem auxilium peculiare Paulo contigit[1]), qui, etsi comes Christi non fuerat, tamen apostolico muneri per Christum admotus est[2]), et ab apostolis agnitus collega[3]).

1) Gal. 1, 12. Ephes. 3, 3. 1 Cor. 2, 10. 2 Cor. 11, 5. 6.
2) Act. 26, 16 sqq. 1 Cor. 9, 2. Act. 9.
3) Gal. 2, 7 sqq.

8. Atque his de causis ipsi apostoli volunt audiri, postulantque sibi non alia de causa fidem haberi, quam quia iussi sunt a Christo vniuersum genus humanum docere[1]), cum eo vixerunt[2]), vera et plena doctrinae Christi scientia imbuti, docendoque idonei redditi sunt[3]), et per singularia facta, a Deo per ipsos patrata, insigniti et comprobati legati Christi[4]).

1) Matth. 28, 19. et nominant se δέλους atque ἀποστόλους Χριστοῦ.
2) Act. 1, 21. 22. et 10, 41. 1 Io. 1, 1. 3. 2 Petr. 1, 16 sqq. Sponte intelligitur, hoc de Paulo non valere.
3) 1 Petr. 1, 12. 1 Cor. 2, 9. 10.
4) Cf. infra §. 18 sqq.

9. Igitur talium virorum doctrinam, e libris eorum nobis cognitam, propter ipso-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0049
DFG

rum testimonium de se habemus pro doctrina Christi, censemus singulari procuratione Dei adiuuante traditam*), referimusque ad Deum auctorem. Historiam item, a talibus viris scriptam, censemus historiam religionis fide dignam. De aliis causis deinde.

*) cf. §. 1. huius sect.

Marcus et Lucas, etsi a Christo nec constituti sunt apostoli, nec peculiare auxilium, apostolis diserte promissum (§. 5. 6.), exspectare diserte iussi sunt, ideo tamen parem cum apostolis fidem merentur, quia collegae eorum fuerunt, ab iisque historiam et doctrinam Christi acceperunt. Lucas quidem hanc ipsam ob causam fidem sibi haberi vult (Luc. 1, 1 — 4). De Marco, Petri collega, veteres memoriae prodiderunt (Euseb. H. E. 3. 39. e Papia. 5, 8. ex Irenaeo).

10. Prophetae, quales Iudaica natio habuit, et nos κατ' ἐξοχήν prophetas[1]) aut legatos Dei ad illam gentem dicimus, prae se ferunt, ea, quae agunt docentque[2]), ideo se agere et docere, quia iussi sint a Deo haec agere et docere, et id, quod egerunt docueruntque, ab eodem ipso acceperint[3]). Hac de causa volunt se audiri.

1) h. e. singulares (extraordinarios) interpretes Dei ad gentem Iudaicam, quorum potestas et ius agendi docendique talia non nitebatur iure natalium, familiae, legis, loci, quem in ciuitate tenebant: nec eruditione, aut proposito sponte capto: sed ea re, quod nominatim moniti sunt a Deo, nominatim haec docere et agere, siue, quod certis mandatis

a Deo extra ordinem instructi sunt. vid. Dresde de notione prophetae. Viteb. 1788.

Talis (extra ordinem iussus) talibusque mandatis (extra ordinem) instructus, nuncupatur legatus שלוח Ies. 61, 1. Ier. 23, 21. מלאך Hagg. 1, 13.

[Alios verbi נביא significatus tractauit Witsius in Miscell. Sacr. lib. 1. integro. Carpzouius in introd. in libros canon. V. T. l. 3. in.]

2) Pertinent huc, constituere formam ciuitatis Israeliticae, sacrorum publicorum et doctrinae (sic Moses): docere, instituta haec doctrinamque tenenda esse (sic ceteri prophetae): monere interdum de publicis negotiis: futura praedicere: omnino doctrinam religionis tradere.

3) Ad haec duo, *iussi sunt*, et *rem* (doctrinam nominatim et vaticinia) *a Deo acceperunt*, redeunt omnes loci, vbi prophetae de missu diuino loquuntur, suamque legationem diuinam describunt. Exod. 4, 12. 15. 16. Deut. 18, 18. Ierem. 1, 6 sqq. Amos. 3, 7. Ies. 61, 1.

His e locis perspicuis explicandi sunt alii, in quibus prophetae dicunt, רוח יהוה עלי, (cf. 2 Sam. 23, 2) aut dicuntur in nomine Domini loqui, aut in N. T. λαλῆσαι ἐν πνεύματι (Matth. 22, 43), φερόμ. ὑπὸ πν. ἁγ. (2 Petr. 1, vlt. *non iussu humano, sed diuino*, non sua hominum sponte, sed Deo monente. cf. Ioseph. c. Apion. 1, 8. tot.) aut dicitur Deus per eos locutus. (Ebr. 1, 1. Act. 3, 21. et 4, 25.)

Aberrant igitur a sensu verborum, quem in his locis, propter parallelos locos *propriis verbis* expressos, habent, qui vel olim opinati sunt (cf. Deyling. Obs. Sacr. 1, 1. Moshem. diss. ad hist. eccles. Vol. 2. p. 139 sqq.), vel hodienum iterant, his verbis tum quoque, cum de prophetis *talibus in tali re* vsurpantur, significari nihil nisi hoc, prophetas aut diuinatione polluisse, aut publicarum

rerum scientia valuisse, aut habuisse celeriores et acriores ingenii motus (εὐφαντασιώτους fuisse), ac, si quando incaluerint, et rerum imagines animo commoti conceperint, res euidentissime adumbrasse. Non conuenit hoc cum parallelis locis, (Exod. 4, 12. Deut. 18, 18), in quibus res *propriis verbis* ita exprimitur: *docebo te, quae dicas.*

Quo modo sint mandatis instructi, saepius illustrant exemplis (Exod. 3. tot. Num. 12, 6. 7. 8. Ierem. 1. tot. Iesa. 6. tot.), nuspiam plenius describunt.

11. Talium virorum doctrinam de religione, e libris eorum nobis cognitam, instituta item et vaticinia, censemus propter hoc ipsorum de se testimonium singulari procuratione Dei tradita, et ad Deum auctorem referimus (cf. supra §. 1. et 9). De aliis causis posthaec dicetur.

12. Tum vero, cum narrant, (versantur autem eorum libri saepius in narratione; quidam adeo nihil nisi historiam continent) merentur fidem ideo, quia partim res ab se gestas, aut res sui temporis scripserunt, partim publice scribendae historiae ius et auctoritatem habuerunt, quippe prophetae*).

*) Natio Iudaica nemini concessit ius historiae publice scribendae, nisi prophetis Ioseph. c. Apion. 1, 6. 7. 8.): vt nemini concessit ius multiplicandi exempla librorum propheticorum (ὑπογράφειν, abschreiben), nisi sacerdotibus. (ibid.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0052
DFG

Cum ergo libri V. T. omnes, historici aeque ac dogmatici, a prophetis conscripti sint, vt antiquitas constanter tradit: integrum illud volumen appellari solet corpus librorum propheticorum, οἱ προφῆται.

13. Haud leuis causa fidei, prophetis habendae, apud hos, qui Christum profitentur et reuerentur, illa est, quod Christus eorum doctrinam constanter, vt Deo volente propositam, probat et commendat[1]): quod ipse suae doctrinae firmamentum in consensione cum prophetarum doctrina ponit[2]): quod ideo se admittendum Messiam vrget, quia in sua vita eueniant, quae in prophetarum libris praedicta sunt: quod historia, a prophetis tradita, ad docendum hortandumque vtitur. Idem faciunt apostoli[3]), nomine Christi et adiuvante Deo docentes. Esse vero hoc argumentum admodum populare, et sedulo vrgendum, vix verbis eget.

1) Matth. 22, 43. Io. 10, 35. et 5, 39. Luc. 16, 17.

2) Confirmat ab se dicta eo, quod in libris prophetarum eadem exstant. Matth. 9, 13. et 15, 7. Cf. P. 4. C. 2. S. 2. §. 2. Plura in hanc rem collegit Burscherus in prolusionibus duabus de Christo, vindice diuinae auctoritatis Mosis et Pentateuchi. Lipsiae a. 1768. et 1773.

3) Vbique V. T. auctoritate nituntur: et varie referunt res, a prophetis traditas, ad auctorem Deum. Act. 3, 18. 21. et 28, 25. 1 Petr. 1, 11. 2 Petr. 2, 21.

Qui ergo admittunt Christi et apostolorum auctoritatem, hi debent prophetarum libris fidem ad historiam, ad doctrinam, et ad vaticinia concedere, iisque ad docendam, discendam exercendamque religionem, opportune et cum dilectu, vti. 2 Tim. 3, 15. 16. Et praestant hunc vsum, si quis iis opportune et cum dilectu vti didicerit. Indignae sunt Christianis voces, quae passim sparguntur, contemtrices librorum V. T.

14. Sunt et aliae quaedam causae, viris his, de quibus nunc sermo est, fidem et auctoritatem conciliantes, assumendae ideo, vt ipsorum testimonium de se (§. 3 — 11.) suffulciatur. Prophetae nimirum haud raro futuras res *) contingentes praedixerunt, quae sic, vt praedictae sunt, euenerunt: cuiusmodi *praedictiones futurarum rerum contingentium, euentu comprobatas*, nominamus *vaticinia*.

*) Non modo suae gentis, sed et ciuitatum exterarum casus: non modo res propinquas, sed et longe remotas: eas item, quae subsunt vni prouidentiae diuinae (Leuit. 26. Deut. 28).

15. Eos tum veraces fuisse, concedere cogimur, quoniam euentus praedictis plane respondit. Quo quidem vno signo proprie agnosci volunt ipsi prophetae*), vt veraces, prouocando nos ad rem, non subsistendo in testimonio suo de se ipsis: tum vero et internosci ab his, qui subinde iactarunt vaticinia, sed exitu sunt confutati.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0054
DFG

*) Deut. 18, 21. Iesa. 48. tot. Dan. 9, 11. 12. Hinc 2 Petr. 1, 19. vaticinia dicuntur nunc, postquam euentus iis respondit, ad persuasionem tanto certiora (βεβαιότερα).

16. Sed quoniam res contingentes finite et accurate prospicere, sine errore praedicere, nec euentu redargui, soli Deo tribuimus: agnoscimus, hominem, eas finite, accurate, sine errore prospicientem praedicentemque, nec euentu confutatum, per Deum prospexisse et praedixisse, Deumque illo viro vsum esse administro*) praenunciandi, sine interprete. Sic res ipsa, euentus, suffulcit fidem dicentis, se a Deo accepisse.

*) עבר יהוה, proferens דבר יהוה. cf. §. 10. not. 1.

17. Vt autem exitus, praedictioni plane respondens, proprie et proxime est declaratio in facto posita eius rei, Deum viro illo vsum esse *praenunciandi* administro, et vt viro inter suae aetatis homines necessario auctoritatem legati diuini conciliat: sic hi homines verisimillime poterant inde concludere, Deum tum quoque non alienum a viro illo esse, sed eo vti interprete et administro, *cum ille vir doctrinam*, per se iam veram*), nomine Dei *exponebat*, vt adeo hanc quoque iussu Dei inculcari censerent, et, propter auctoritatem viri, in alio genere lu-

culenter confirmatam, tanto certius admitterent. Quod iudicium nos quoque tanto tempore post de viris illis iure ferimus.

*) v. c. vnum esse Deum verum, pessime coli idola, vni vero Deo subesse omnia, male tolli discrimen bene et male factorum. Haec non sunt aut fiunt vera, quia, qui docet, alio tempore vaticinium verum edidit: sed censentur *diserte iubente ac volente Deo*, singulari procuratione Dei, per hunc virum repeti et proponi, esse דבר יהוה, quia, qui docet, per vaticiniorum veritatem adeptus est auctoritatem legati et interpretis Dei ad homines; praesertim cum cultoribus aut contemtoribus doctrinae, per se verae, praenunciat commoda aut incommoda, quae eueniunt. Cum enim idololatris exsilium praedicitur, quia sunt idololatrae, et hoc eos tangit, postquam idola coluerunt, ideoque praedicens *nomine Dei* hactenus non decepit homines: nec in eo decipit, cum, idola pessime coli, *nomine* eiusdem *Dei* se docere vrget.

Locum hunc de vaticiniis post multos alios copiose tractauit, scriptoresque de hoc argumento multos indicauit Lessius: von der Wahrheit der christlichen Religion. p. 472. (ed. quint. Gotting. 1785.)

18. Alia causa auctoritatis virorum illorum ea est, quod prophetae quidam et apostoli effecerunt res nonnullas, quas homines vulgo efficere non solent. Eiusmodi effectiones nominamus *miracula*, et ita definire possumus, esse effectiones, quas in cognita nobis serie ordinis naturae vulgo non reperimus, nec ex ea explicare possumus *).

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0056
DFG

*) Hanc verbi definitionem qui probarunt et improbarunt, eos recensuit Cotta ad Gerhardi Locos theol. T. 12. p. 93. Cf. Buelfing. dilucid. metaphys. §. 212. Ierusalems Betrachtungen über die Religion. P. 2. p. 309. (Brunsw. 1779.) Moshemius ad Cudworthum p. 865 sqq. Vtplurimum effectiones *supernaturales* appellantur.

19. Aut enim mentio quidem fit adminiculi naturalis; sed quod non sufficit ad efficiendum id, quod tum effectum est[1]): aut ne fit quidem mentio adminiculi naturalis, sed praegresso verbo res facta est[2]).

1) Exod. 14, 21. Io. 9, 6. 7. Matth. 14, 18. cf. de Manna, Witsii oecon. foed. p. 742. Talia ergo vix censeri possunt operationis diuinae *immediatae*.

2) Io. 11, 43. Marc. 7, 34.

20. Igitur cogitatione adiungimus his effectionibus Deum, volentem, dirigentem, agentem, h. e. iudicamus, facta naturalis adminiculi mentione, Deum naturae, operis sui, effectus maiores esse voluisse, quam vulgo fieri videmus*): nulla vero naturae mentione facta, potentiam diuinam id suo nobis haud explicabili modo effeciisse, Deum id fieri voluisse, quia potest.

*) Ideo vero Deus non mutauit naturae ordinem, mutatumue restituit (Bülfing. dilucid. metaph. §. 223. Crusii Metaph §. 376.), nec in naturam intulit aliquid noui. Plus effecit per naturam, et inter alias περισάσεις, quam solet efficere quotidie.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0057
DFG

21. Adiungimus autem his effectionibus cogitatione nostra Deum tum demum, cum aut is, per quem talia euenerunt, veri doctor fuit[1]), aut in vniuersum verae doctrinae successus euentis talibus adiutus est[2]). Ergo proprie, et stricte iudicando, verum per se et propter argumenta sua est verum, et de eo prius constare debet, quam de miraculo iudicari plene perfecteque, ac tuto statui potest, adfuisse operationem vel directionem Dei.

1) Deut. 13, 1. 2. 3. Vbi ergo aliquis falsa docet, et successum erroris adiuuare tentat mire factis, quantumuis e cognita nobis serie naturae explicari nequeant: ibi non licet assumere cogitatione Deum, qui nullo pacto potest errorem adiuuare; sed fas est, suspicari fucum factum, Matth. 24, 24. 2 Thess. 2, 9.

2) v. c. vt verior religio in Palaestina fixam nanciscereturr sedem, et nationis alicuius publica religio fieret: vt christiana religio permanaret repente terrarum orbem, et publice sancitam idololatriam euerteret. cf. §. 22. not. 3.

22. Proinde miracula respectu doctoris sunt declaratio Dei, in facto posita[1]), de aliquo viro, hoc viro Deum vti velle ad rem aliquam[2]), siue hunc virum esse legatum Dei: [quo quidem ita concluso, simul cogitandum est, quid ille vir doceat, an verum doceat:] respectu ceterorum sunt declaratio Dei, in facto posita, de consilio suo

adiuuandi ſucceſſum veri inter homines[3]), et de hominum officio, non opponendi ſe huic ſucceſſui, ſed agnoſcendi prouidentiae directionem[4]). Non autem ſunt argumenta, veritatem propoſitionum ipſarum confirmantia[5]): quae veritas per ſe, etſi nulla miracula facta eſſent, ſtat, et ab aliis argumentis pendet.

1) μαρτύρια. Ebr. 2, 4. σημεῖον. 2 Cor. 12, 12. (*documentum* eius rei, me eſſe apoſtolum). Matth. 16, 4. (*documentum* de Ionae legatione diuina). Eine Beglaubigung des Mannes. Act. 2, 22. ἀποδεδειγμένος, *de quo exſtant certa documenta.* Sed hoc documentum, quod per miracula exhibitum eſt, non eſt neceſſarium in quouis legato diuino: nam non ſunt ab omnibus legatis Dei miracula patrata, et tamen hi quoque verum Deo volente docuerunt.

2) Cf. §. 21. not. 2.

3) Marc. 16, 20. συνεργεῖ ὁ θεὸς, adiuuat doctrinam, ſucceſſum eius: vt homines tanto celerius alliciantur moueanturque ad audiendum huiusmodi virum, ad liberandum eum a ſuſpicione fraudis, ad cogitandum et admittendum id, quod a tali viro proponitur, ad animaduertendum, dirigente Deo proponi. Beſtätigung des Vortrags der Lehre, als einer Anſtalt von Gott, βεβαίωσις τῷ λόγῳ. Marc. l. l.

Hinc vſus eſt Deus hoc adminiculo, praeſertim Moſis, Chriſti et apoſtolorum aetate, vt cum vi promoueretur doctrina.

4) Exod. 14, 31. Io. 2, 11.

5) Nicht Beweiſe des Inhalts der Lehre, der Lehrſätze ſelbſt.

Etiam hunc de miraculis locum persecutus est Lessius l. l. p. 166. Quibus argumentis efficiatur moralis persuasio de eo, narrationes de miraculis esse narrationes de rebus, vere positis in facto, disseruit Werenfels. in opusc. theol. et philos. P. 1. p. 79.

23. Hactenus de causis, quare illi viri docentes, narrantes, vaticinantes, fide et auctoritate digni sint, h. e. quare doctrina eorum censeatur singulari procuratione Dei detecta aut proposita §. 1.), vaticinatio divinitus accepta (§. 16.), historia certa et vera. Iam de volumine librorum, ab iis scriptorum (§. 1. 2.).

24. His ergo libris, per hos viros scriptis, siue his viris *scribentibus*, fidem et auctoritatem in doctrina, vaticinatione et historia, tribuere debemus (meo quidem sensu) iisdem de causis, quibus de causis fidem auctoritatemque tribuimus ipsis illis viris, alio etiam modo, ore docentibus, eosque censemus proposuisse doctrinam, procurante id Deo, vera et diuinitus accepta vaticinia protulisse, certam gestarum rerum notitiam habuisse.

Saltem ego non video, quid ad fidem differant haec duo, ore proferre et in literas referre, et cur ad fidem auctoritatemque conciliandam viro, consignanti rem literis, pluribus et nouis causis sit opus. Ergo mihi quidem videntur illi libri ad auctorem Deum referendi, divinique dicendi, propter doctrinam, quae inest, *singu-*

lariter procurante Deo traditam (§. 23.), et propter vaticinia, *diuinitus accepta.*

25. Sed quaeri solet, an non praeter id, quod continent talem doctrinam et vaticinia, aliud quid sit, cur expositio *scripta* harum rerum, *libri* hi nominatim, sint ad Deum *scribendi* auctorem referendi: atque adeo an non praeter id, quod fide dignam historiam continent, aliud quid sit, cur *narrationes* hae *scriptae*, ad auctorem *scribendi* Deum referendae sint.

26. Praebuit occasionem quaestioni, quod Paulus libros V. T. γραφὴν θεόπνευστον appellat[1]). Quod vocabulum nouum, a Iudaico scriptore vsurpatum, si etymologia spectetur, haud dubie significat, illos libros scriptos esse ἐν πνεύματι Θεῷ[2]).

1) 2 Tim. 3, 16. Vulg. vers. *diuinitus inspirata.*

2) Ita expressit vers. Syr. loci Paulini. Ita conuenit idea, verbo subiecta, tot prophetarum locis, vbi dicuntur locuti ἐν πνεύματι θεῷ. Ita conuenit periphrasi Petrinae 2 Petr. 1, 21. Cf. §. 10. not. 3.

27. Iam Hebraei, de hominibus agentibus aliquid loquentes, et ab iis dicentes fieri aliquid ברוח אלהים, hoc sibi volunt, id fieri per homines, Deo peculiariter efficiente et adiuuante[1]): non autem per haec verba modum explicant, quo Deus aliquid efficit per hominem, eumque adiuuat. At-

qui fuit varia peculiaris efficientia Dei atque procuratio (Veranſtaltung)[2]), vt illi libri ſcribi poſſent, et ſcriberentur. Ergo ob hanc peculiarem efficientiam Dei et procurationem multiplicem, (quae reſpectu horum librorum non vnius generis eſt, ſed late patet)[3]), videntur mihi etiam illi libri ſenſu late patenti θεόπνευστοι dici, et hoc ipſo ſenſu a Paulo etiam dicti.

1) Dath. ad Glaſſium. p. 819. Doederlein. inſtit. theol. §. 81. et 109.

2) Tradidit vaticinia, deinde in libros illos relata.

Iuſſit interpretes ſuos, haec illa dogmata, haec illa praecepta, deinde conſignata, nomine Dei proponere.

Iuſſit interdum diſerte conſignari, quae his in libris exſtant, librosque aſſeruari. Exod. 17, 14. 34, 27. Deut. 31, 19. Ieſ. 8, 1. et 30, 8. Ier. 30, 2. 36. tot. Habacuc. 2, 2. et paſſim.

3) Cf. vtique Cruſii theol. proph. P. I. p. 92. n. 17. qui acute obſeruauit, τὸ θεόπνευστον late patere, non vnam aliquam rem exprimere.

28. Chriſtiani libros N. T. pariter nominant θεοπνεύστους. Id quod mea ſententia fieri debet eodem ſignificatu, quia pariter fuit varia peculiaris efficientia et procuratio Dei*), vt libri N. T. ſcribi poſſent et ſcriberentur.

*) Tradidit apoſtolis per Chriſtum res, quae κατ' ἐξοχήν reuelatae ſunt: et libri eorum illas continent.

Prouexit eos vlterius per Spiritum (§. 6): et libri eorum continent hanc vberiorem ſcientiam.

Ad-

Adfuit iis ad omne munus docendi, nominatim ne nescirent scienda, neue errarent (§. 6.) Atqui etiam scribentes docuerunt, et omnem posteritatem docuerunt. Quidni ergo tum quoque iis adfuerit?

Suppeditauit iis prouidentia sua varias scribendi occasiones. (vid. epistolas nominatim.)

Iussit quaedam in literas referri. Apoc. 1, 11. et 14, 13.

Est ergo multiplex procuratio diuina peculiaris in conficiendis his libris.

29. Sed quae hactenus dixi, ea videntur multis vaga, quia sunt ἑτερογενῆ, neque adeo paris omnium librorum auctoritatis parem causam continere, neque tutos satis lectores illorum librorum vbiuis praestare. Ergo malunt rem reuocare ad vnum certum genus; malunt scriptorem cogitare tantum eo tempore, quo scribit, in actu scribendi; malunt, tali tempore spectatum scriptorem dicere θεόπνευστον hoc sensu[1]): vt sit scriptor, cuius voluntatem Deus peculiari operatione ante scriptionem ad scribendum commouerit[2]), et cuius animo Deus peculiari operatione inter scribendum[3]) subministrauerit et res[4]), quas scriberet, aut saltem rerum delectum[5]), et verba, quibus res exprimeret[6]). Quidam id, quod scribentibus contigit, non tam sedulo describunt; sed eo vno in vniuersum adquiescunt, Deum adstitisse scribentibus, ne errarent[7]).

1) Sic, praeter multos, Carpzov. in Crit. S. p. 42. sq. Bertlingius, neue Harmonie der Evangeliſten. p. 7 ſqq. (Halae 1767. 4.) Foertſch de inſpiratione SSae. Paulo arctius notionem inſpirationis conſtituit Schmidius in hiſt. canonis V. et N. T. p. 88. Argumentorum in vtramque partem ſumma vid. in Maii exam hiſt. crit. Simon. p. 305. et append. Omnem quaeſtionem ſtudioſe examinauit Toellner von der goettlichen Eingebung der Schrift. Lindav. 1771. cf. Meyer de inſpiratione. Trai. 1784. et infra ſchol.

2) Nominant impulſum. Sed hoc etſi interdum contigit (§. 27. 28. *iuſſit conſignari*): tamen doceri hiſtorice non poteſt, id in omnibus et ſingulis libris eorumque partibus contigiſſe. (vid Luc. 1, 1 — 4.) Quod niſi hiſtorice doceatur de re in facto poſita: non eſt euidens.

Varii loci SSae, qui hunc impulſum deſcribere exiſtimantur, non agunt de actu et tempore ſcribendi. v. c. 2 Petr. 1, 21 (cf. §. 10. not. 3. et agit hic locus tantum de vaticiniis.) Et hoc tamen eſt κρινόμενον. Non quaeritur, an aliquis, et quid iuſſus ſit docere aut vaticinari; ſed, an iuſſus ſit literis conſignare.

3) Hoc ſi factum eſt, debuit ipſe ſcriptor, cuius animus tali operatione inter ſcribendum affectus eſt, teſtari: alias non eſt euidens. Sed ſacri ſcriptores non teſtantur, *inter ſcribendum* ſe affectos eſſe tali operatione Dei. Plane non pertinet huc Matth. 10, 19. Luc. 12, 11. et 21, 14.

4) Hoc *de rebus hiſtoricis* doceri plane non poteſt. Ipſius adeo vetuſtiſſimorum temporum hiſtoriae, a Moſe expoſitae, notitia potuit ſeruari, tradita ore aut aliis modis: nec eſt credibile, illorum temporum notitiam nullam ante Moſen inter patriarchas et Iſraelitas fuiſſe (v. Dathii verſio Pentateuch. ad init. Genes. vbi plures ſcriptores nominantur). Quae Moſes e paratis iam monumentis inſeruit operi ſuo

(Num. 21, 14), ea ob hoc ipsum Mosis iudicium fidem apud me merentur, qui mihi plane persuaserim, Mosem fuisse legatum diuinum. Nolo tamen pugnare, (neque enim euidens habeo argumentum) si quis cum Iosepho (c. Apion. I. 7.) statuere malit, Mosen τὰ ἀνώτατα καὶ τὰ παλαιότατα κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ didicisse.

De rebus vitae communis, quales multae insunt in apostolorum epistolis, doceri hoc non potest: nec de sensibus scriptorum, quibus se affectos narrant (2 Tim. 1, 3. cf. Crusius l. l. p. 87. et 90.)

Dogmaticas res et vaticinia iam acceperant ante scribendum. Ergo non certum est, (saltem scriptores ipsi non testantur) denuo eos inter scribendum has res accepisse secum communicatas. Et profecto, cum scriptor acceptas olim a Deo res vllo aliquo tempore insecuto vel ore, vel scripto repetit: est ea res semper λελαλημένη et γεγραμμένη ἐν πνεύματι θεοῦ, et ad auctorem Deum referenda, etsi Deus non denuo ipse importat rerum ideas in dicentis scribentisque animum. cf. Toellnerus l. l. p. 130.

5) Hoc per testimonia certa ipsorum scriptorum doceri nequit.

6) Verum est et necessarium, scriptores interdum servasse verba, per quae didicerant res, velut in vaticiniis numeros, et nomina locorum hominumque: his enim non seruatis, scripsissent aliam rem: Mosen seruasse verba decalogi, euangelistas verba dominicae orationis. Sed hoc ipsum de omnibus omnino ac singulis verbis, quibus doctrinam exponunt, aut res gestas narrant, euidenter doceri defendique nequit. v. Witsii Miscell. Sacra l. 1. cap. 11. §. 14. Et manet res dogmatica et historica *in vniuersum* eadem, etsi verbis variatur. (cf. parallelos locos epistolarum Paulinarum de soluto vinculo Mosaicae legis, aut parallelas narrationes euangelistarum, et quorumdam V. T. librorum et

locorum.) Qui huc referuntur loci, similes illi, qui Ier. 1, 9. obuius est, ii non agunt de actu *scribendi*, si vel maxime τὸ *verba* vrgeretur. Sed cf. §. 10. not. 3.

Paulus vero (1 Cor. 2, 13.) non loquitur de actu scribendi, nec de rebus historicis: sed dicit, in exponenda doctrina de gratia Dei in Christo, seu voce seu scripto exponat, se vti sermone (Vortrag, Vortragsart), qui non per artes scholarum Graecarum doceri potest, sed per Spiritum Dei aut ἀπόκάλυψιν, h. e. se proponere res, a Spiritu Dei suppeditatas, vt sunt ipsae, nudas, sine artis accessione, non autem res, et facundiae omnigenae blanditias, in scholis Graecis acceptas.

7) Hanc sententiam, quae Calixti nominatim fuit, diiudicat Musaeus (Erklaerung der Ienaischen Theologen p. 48 sqq.)

Discrimen reuelationis et inspirationis, quod nonnulli esse opinantur, non nititur testimonio historico, aut argumento inuicto.

Scriptores recentiores enumerauit Doederlein in institut. theol. P. 1. §. 30. obs. 5. Cf. Pfaffii institut. theol. dogm. et mor. p. 67. (Francof. ad Moen. 1721. 8.) Eiusdem notae exegeticae in Matthaeum p. 14 sqq. (Tubing. 1721. 4.) Eiusdem introductio in histor. theol. literariam. p. 296. (Tubing. 1724. 4.)

30. Tales cum sint hi libri eorumque auctores, quales hactenus vidimus: vtimur volumine horum librorum, Scriptura Sacra, vt vna, eademque perfecta norma*) cognoscendae, defendendae et exercendae doctrinae religionis, singulari diuina procuratione traditae.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0066
DFG

*) *Norma.* Hinc in scholis dicitur SSae auctoritas normatiua, quam et κανονικὴν (Gal. 6, 16.) dicunt.

Vna norma. Nullis aliis de religionis diuinitus acceptae doctrina scriptoribus, aut libris, parem tribuimus auctoritatem: cum prophetae, apostoli et euangelistae, horumque libri, habeant propria plura, quae in alios scriptores eorumque libros non cadunt. Inde non concedimus talem auctoritatem patribus ecclesiasticis (vid. Gerhard. Conf. cathol. c. 2. 3.), nec omnibus, nec iis, qui per secula quinque priora fuerunt (cf. Buddei isagoge. p. 511.): non concedimus conciliis, non vni alicui episcopo, quasi falli nescio.

Perfecta norma. Continet ea, quae his in terris ad adipiscendam salutem futuram sunt necessaria: nec opus est accessione traditionis, κατ' ἐξοχὴν dictae, h. e. ἀγράφου institutionis, ab apostolis inde manantis, et tamen paris cum scripta doctrina auctoritatis ad dogmata, officia, ritus. (vid. Chemn. Ex. conc. Trid. p. 61. 76. Gerhardi conf. cath. c. 5. Boerneri inst. theol. symb. p. 122.)

Quaeritur etiam iure, (etsi hoc non est δογματικὸν) an hi libri sunt genuini prophetarum, apostolorum et euangelistarum libri: quam nominamus quaestionem de librorum *authentia.* Hoc, vt in omnibus antiquis libris, ita et in his, non nisi historiae testimonio disci potest, et constat: quo quidem abunde declaratur, quinam libri inter Iudaeos et Christianos, vt prophetarum, et apostolorum, et euangelistarum genuini libri, partim sint ab vna aetate ad aliam traditi, partim, quoniam genuini erant, publice recepti sint, siue, vt fontes doctrinae diuinae, et historiae religionis, vsurpati.

Huiusmodi testimonia veterum scriptorum de singulis libris SSae, praeter multos alios, Millium nominatim in N. T. prolegomenis, Richardum Simonem in hist. crit. V. et N. T., et Lardnerum (credibility of the Gospel-history), collegerunt Carpzouius (in introductione

in libros V. T. canon. Lipſ. 1721. 4.) Pritius (in introductione in lectionem N. T. Lipſ. 1737. 8.) Rumpaeus (in commentatione crit. ad libros N. T. Lipſ. 1730.) Michaelis, (Einleitung in die Schriften des neuen Bundes: item, in die Schriften des alten Bundes.) Eichhornius, (Einleitung in das A. T. Lipſ. 1787. 8.) Leſſius, (Geſchichte der Religion. Gotting. 1784. de V. T. p. 243. de N. T. p. 467. qui alios ſcriptores diligenter recenſuit.)

Inter haec teſtimonia ſunt varii librorum ſacrorum catalogi, qui vulgo *canones* dicuntur. Vnde liber, qui in eiusmodi canonibus exſtat, vt genuinus et publice receptus, nominatur canonicus. Nos autem ex iſtiusmodi canonibus, quippe nullam niſi teſtimonii vim habentibus, id vnum diſcere et confirmare poſſumus, quinam libri a Iudaeis Chriſtianisque, vt genuini, publice recepti ſint: θεοπνευστίαν illorum librorum tales canones non confirmant.

Quod autem canones illi non conſentiunt in omnibus libris, (in quibusdam enim nonnulli libri omittuntur, quos et patres multi eccleſiaſtici ignorarunt, aut de quorum auctoribus dubitarunt) ideo theologi hos libros diviſerunt in ὁμολογουμένους et ἀντιλεγομένους, et recentiore tempore in πρωτοκανονικὰς et δευτεροκανονικάς.

Canonum exempla v. in Euſeb. H. E. 3, 24. 25. it. 6. 25. Gregor. Nazianz. Opp. T. 2. p. 194. ed. Col. 1690. Ioſephi locus (c. Apion. 1, 8.) proprie non eſt canon; ſed memorabilis in hanc rem. Eum illuſtrauit Schmidius in enarratione ſententiae Ioſephi de libris V. T. (Viteberg. 1777.) Ceterum cf. ſcriptores, paulo ante nominati. Muellers Belehrung vom Kanon des A. T. (Lipſ. 1774.) Schmidii hiſtor. antiqua canonis V. et N. T. (Lipſ. 1775.) Doederleinii inſtit. theol. chriſt. P. 1. §. 31. 40.

31. Sed non ſufficit, per haec argumenta, quorum nonnulla[1]) aliquid eruditionis

postulant, sibi persuadere, in SSa contineri doctrinam religionis, singulari procuratione Dei [2]) propositam. In primis opus est, ipsam doctrinam discere, eaque vti [3]): vt adminiculo experientiae, quae cuiuis est optima magistra, cognoscamus, qualis sit doctrina, cum ad fructum [4]), an praestet id, quod offert [5]), tum ad auctorem, an praestet id, quod inuentione humana superius et maius sit, et Dei procurationi adscribendum [6]). Si prius: expertus es, te non esse per eam, vt inuentam ab hominibus fraudem, deceptum [7]). Si posterius: expertus es, eam tibi plus dedisse, quam per te hominemque vllum acceperas [8]). Sic experientia ductus, et populari argumento [9]) confirmatus, concludes, *a Deo tibi per hanc doctrinam beneficium procuratum esse.*

1) v. §. 14. 18. it. quaestio de notione theopneustiae.
2) als naehere Belehrung (Sect. 1. §. 10.) und neue Belehrung (Sect. 2. §. 1.)
3) Io. 7, 17. ποιεῖν τὸ θέλημα Θεοῦ, et discere, quae Deus discenda proponit, et agere, quae agenda docet. Io. 8, 31. μένειν ἐν τῷ λόγῳ.
4) Hoc est Io. 8, 31. τὴν ἀλήθειαν γινώσκειν, experiendo agnoscere indolem et vim doctrinae.
5) Offert scientiam, cuius partem aliunde haurire nequis (Matth. 11, 27. Io. 1, 18. 1 Cor. 2, 9. 10.), et quae te, qua laboras imperfectione morali, tranquillat (Rom. 5, 1 sqq.), et omnino tranquillat (Matth. 11, 29.), emendat (Rom. 8, 2. 1 Io. 5, 3.

4.), spe vltra vitam hanc pertinente replet (Io. 12, 50.), quae item te, qua per omnia vitae momenta Deo subes, conformat, accommodate ad hanc perpetuam cum Deo necessitudinem tuam. Cf. Dissert. p. 349.

6) Hoc est Io. 7, 17. γινώσκειν, πότερον — Vsu cognoscet homo, qui se ad discendum agendumque dedit, Iesum non sponte, non iniussu diuino, protulisse pro arbitrio doctrinam, vt famam sibi colligeret; sed iussu et missu Dei, Deo volente et procurante, docuisse, vere eum ministrum Dei fuisse ad impertiendos hoc beneficio homines.

7) 2 Cor. 1, 19. 20.

8) v. not. 5.

9) Tractauit hoc argumentum Rosenmuellerus (histor. Beweis der Wahrheit der christl. Religion. p. 147. Hildburghaus. 1789.)

Effecta sic per experientiam et vsum doctrinae persuasio de hac re appellari solet a multis *testimonium Spiritus S. de religione, diuinitus data*, idque internum, v. Less (Wahrheit der christlichen Religion. p. 117. inpr. p. 141. Sacks vertheidigter Glaube der Christen. p. 103.) Alii hoc testimonium aliter describunt; etsi in summa id ipsum, quod modo dixeram, respiciunt. vid. Musaeus (Erklaerung der Jenaischen Theologen. p. 8. Ien. 1677. 4.) Aegid. Hunnius (de certitudine et maiestate SSae. p. 14. Lubec. 1601. 8.) Noesselt (de interno testimonio Sp. S. Hal. 1766.) Enumerauit varias sententias Junkheim von dem Uebernatuerlichen in den Gnadenwirkungen. p. 110. (Erlang. 1775. 8.) Controversias attigit Buddeus in instit. theol. dogmat. p. 145. et recentissimas dissensiones Schmidius in historia canonis V. et N. T. p. 63 sqq.

Non agunt de hac persuasione, quae experientiae debetur, hi loci: 1 Cor. 2, 4. (Sensus est: *Docebam, non vsus blanda persuasione, quae docetur in scholis, iisque accepta refertur; sed vsus certa institutione, quae do-*

ceitur a Spiritu, Spiritui accepta refertur.) 1 Io. 5, 6. Rom. 8, 16: quamquam e duobus posterioribus locis ductum est nomen *testimonii*, quod huic persuasioni a multis tribuitur, vt opponerent hanc persuasionem miraculis, quae solent testimonium externum Sp. S. appellari (Ebr. 2, 4).

32. Cui vero experientia, iuuante Deo, hoc persuaserit, is non existimabit, propter obuias in religionis doctrina paucas *res, quarum natura interior a nobis perspici nequit*[1]), ipsam vtilissimam[2]) doctrinam penitus repudiandam esse, aut has saltem res abiiciendas negandasque. Quod si existimaret: ageret in hoc genere scientiae aliter, quam in vllo alio genere agit, et foret iniquus. Admittet ergo et concedet pauca[3]) quaedam, intelligentiam ipsius superantia, quae diserte in SSa leguntur[4]), vt totius doctrinae partes, quibus demtis cetera talia, qualia sunt, consistere non possunt.

1) Huiusmodi res κατ' ἐξοχήν dicuntur *mysteria* doctrinae SSae. Vt plurimum sic describimus: *Superant intelligentiae nostrae fines.*

2) Huc inprimis respiciendum ei est, qui conformare animum vult ad adquiescendi voluntatem.

3) Non bene augeri solet ab aliquibus numerus mysteriorum, qui omnia propemodum in religione malint incomprehensa dicere.

4) Hoc est caput rei. Et est modestiae, his ipsis verbis vtentem loqui de mysteriis, quibus vsi sunt scriptores sacri.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0071
DFG

33. Etenim cum his non ex omni parte perſpicuis doctrinis[1]) cohaeret non modo vniuerſa doctrina, vbi eſt valde perſpicua; ſed fluunt etiam inde nominatim quaedam doctrinae perſpicuae[2]), non habentes ſine illis locum. Ergo finimus obſcura illa, vt ſunt, nexa cum vniuerſa doctrina[3]), et quae inde fluunt nominatim, profecto non obſcura, his vtimur[4]), haec, quae parata et ad manum ſunt, in vſum conuertimus. Sic ſe gerere in his, ſufficit.

1) veluti cum illo: Deus habet Filium et Spiritum: Filius eſt idem ille cum homine Ieſu coniunctus.

2) de exſpectandis quaerendisque beneficiis, quae a Patre per Filium et Spiritum promittuntur et tribuuntur, de officiis erga P. F. et Sp.

3) Non debemus niti, ea, quae fatemur non perſpicua, explicare, aut ratas de iſtis formulas et θεωρίας ſancire. Quod ſtudium omni tempore obfuit: nam protulit hypotheſes, et genuit alia ſuper alia vocabula. Nec poſtulatur, vt ea explicemus.

4) Quaerimus et exſpectamus illa beneficia, praeſtamus officia. v. not. 2. et Diſſert. p. 357.

Cf. Knittels neue Critiken ueber 1 Ioh. 5, 7. p. 166 ſq. (Brunsv. 1785. 8.)

PARS PRIMA

de Deo, et operibus eius, ad vniuersum pertinentibus.

CAPVT PRIMVM

De Dei notione et natura.

I.

Notum esse ponunt et sumunt Scriptores sacri, Deum esse: neque huius rei notitiam, vt plane inauditam et nouam, proferunt.

Rom. 1, 19. *palam est, inter eos esse notitiam Dei.*

2. Iidem Scriptores monent et confirmant, natura rerum cogitanda huc peruenire, vt intelligamus, cum Deum esse, tum eum excellere[1]), multisque modis, praesertim in V. T. libris, hoc genus cognoscendi Dei populariter[2]) tractant, accommodate ad Dei venerationem.

1) Cf. Prolegom. Sect. 1. §. 5.

2) Incedunt ea fere via, quam Scholastici viam causae, eminentiae, negationisque dixerunt.

3. Sed posito hoc, Deum esse, cognito hoc, eum excellere, porro quaerentibus, Quis est Deus? (perhibuerunt enim alii alios Deos) respondent Scriptores sacri, eum esse Deum, qui creauit[1]), conseruat

et gubernat omnia[9]), ei esse notionem naturamque Dei adscribendam[3]), ei diuinam venerationem exhibendam[4]).

1) 1 Cor. 8, 6. Iesa. 42, 5. Act. 14, 15.
2) δι' ὃν τὰ πάντα. Rom. 11, 36. 1 Cor. 12, 6. Ex n. 1. et 2. sequitur, Deum esse diuersum a mundo, non autem partem mundi, aut animam, per mundum fusam.
3) Ceteri, qui existimantur dii, sunt δόξῃ, non re, sed opinatione tantum dii. 1 Cor. 10, 19. Gal. 4, 9. אלילים. τὸ μάταιον. Act. 14, 15.
4) Iesa. 42, 8. Apoc. 4, 11.

4. Sic exhibentes Scriptores sacri notam Dei, simul docent, quis *vere* Deus sit, siue, cui *natura diuina* adscribenda, et *veneratio diuina* exhibenda sit.

5. Hunc Deum verum docent esse vnum.

Deut. 6, 4. 1 Cor. 8, 6. Haec de vno vero Deo doctrina, Deo varie procurante et adiuuante, priscis hominibus, Iudaicae nationi, orbi denique terrarum, partim propius admota est, vt facilius celeriusque disceretur; partim primum innotuit. vid. Proleg. Sect. 1. §. 9. 10. Cf. Meiners historia doctrinae de vno vero Deo. Lemgou. 1780. 8.

6. Hunc vnum verum Deum docent, et fuisse omni tempore, et esse omni tempore, et fore omni tempore[1]), nec initium habuisse[2]), nec finem habiturum esse[3]), vno verbo *aeternum* esse[4]).

1) Apoc. 4, 8. Iesa. 41, 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0074
DFG

2) Pſ. 90, 2. et 102, 24 ſqq.
3) 1 Tim. 6, 16. et 1, 17. ἀόρατος.
4) Rom. 16, 26.

7. Vnius huius veri Dei natura in libris ſacris, populariter, et ad bonos ſenſus animis ingenerandos (§. 23.), ſic vberius declaratur. Adſcribitur ei, eum ſcire[1]), velle[2]), agere (operari)[3]), corpus non habere[4]).

1) רַעַת בִּינָה חָכְמָה.
2) βελή, βέλημα, θέλημα, חֵפֶץ. Ieſ. 53, 10.
3) ἐνεργεῖν Epheſ. 1, 11. ἐργάζεσθαι Io. 5, 17. ζῶν. חַי יְהוָה, ſo wahr Gott weiſs und wirket.
4) Dicitur conſtanter ἀόρατος. 1 Tim. 1, 17. Nefas eſt, eius formam adumbrare, eumque ſic cum corporibus interituris et caducis vel opinione ſola comparare. Exod. 20, 4, Rom. 1, 23. Act. 17, 29. Totus eſt cogitandus talis, qualem animum noſtrum cogitamus, intelligentem volentemque. Io. 4, 23. 24. Vnde quidquid de membris ei tributis legimus, id eſt humano more dictum. Amplo ambitu, et ad ſenſus bonos vitamque accommodate haec tractantur in Hempelii progr. primo de Deo inuiſibili. Lipſ. 1790.

His omnibus (intelligentia, voluntate, vacuitate a corpore) vno verbo comprehenſis, Deum nominamus *Spiritum*: etſi in Scr. S. verba רוּחַ et πνεῦμα non vbiuis hanc amplam ſignificationem, omnibus his coniunctis, exprimunt. vid. Diſſert. p. 328.

8. Atque haec ita ei adſcribuntur, vt a nemine pendeat, et in his omnibus omni ex parte aliis longe maior ſit, nihil cum eo comparari poſſit, atque adeo vt maximus ſit (perfectiſſimus).

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0075
DFG

Pſ. 89. 7. 9. Epheſ. 4, 6. 1 Cor. 15, 28. et illa: μόνος σοφὸς, μόνος ἀθάνατος, μόνος δυνάστης. Rom. 16, 27. 1 Tim. 6, 15. et ὕψιστος. Cf. Deus deorum.

9. Ex his ergo, de nota et natura vnius veri Dei ſummatim in SSa dictis, componimus nos notionem vnius veri Dei, eumque dicimus eſſe *Spiritum* (§. 7) *perfectiſſimum* (§. 8), *conditorem*, *conſeruatorem et gubernatorem mundi* (§. 3). Hunc, ita nobis e SSa cognitum, nullum autem alium, adoramus et inuocamus (§. 3).

10. *Perfectiſſimam* eſſe Dei *intelligentiam et ſcientiam*, ſic docetur et illuſtratur: Deum noſſe omnia [1]), vniuerſi mundi ambitum et nexum [2]), conſtantem aeque ac variantem, praeteritum, praeſentem, futurum [3]), etiam aliis vtique ignota et occulta [4]), eaque omnia ab aeterno ſciuiſſe [5]): eum eſſe perſpicientiſſimum [6]): item ſapientiſſimum [7]): rurſus ab errore omni alienum [8]): denique indigum neminis ad ſciendum, iudicandum, decernendum [9]). Ex his concludimus, Deo tribui debere *omniſcientiam* et *ſapientiam*.

1) 1 Io. 3, 20. Ebr. 4, 13.
2) Inſtituit enim eum et dirigit.
3) Saepius praedixit.
4) Ier. 17, 10. Pſ. 139, 1 ſqq. Ieſ. 29, 15. Act. 1, 24. 1 Cor. 4, 5. Ac fit ſaepe ſermo de conſiliis Dei, quae nemo ſcire poteſt, niſi Deus detexerit, τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, 1 Cor. 2, 10. τὰ κεκρυμμένα ἐν τῷ

Θεῷ. Ephes. 3, 9. Coloss. 3, 3. מִסְתָּר עַמִּיקָא. cf. Proleg. Sect. 2. §. 3.

5) Rom. 8, 29. et 11, 2. Idem dicitur, quoties Deus dicitur προορίσαι, πρὸ καταβολῆς κόσμου ὁρίσαι.

6) Gott hat von allem die deutlichste Kenntniss. Veteres dixerunt scientiam visionis, cognitionem intuitiuam. Et profecto, qui est creator singulorum, qui singula inuicem nexuit, qui ad minutias vsque singulos nouit (Matth. 10, 30.), is singulorum habeat ἀκριβεστάτην cognitionem necesse est.

7) Rom. 11, 33. id, quod assequi vult, assequitur optimo modo, eoque longe superante nostram diiudicandi et inueniendi intelligentiam. Rom. 16, 27. Ies. 29, 13. 14. Iob. 5, 12. 13. 14. Doctrina Dei, inprimis ea pars, quae salutis viam monstrat, κατ' ἐξοχήν dicitur σοφία. 1 Cor. 1, 21 sqq.

8) Quidquid ergo docet, id κατ' ἐξοχήν dicitur ἀλήθεια. Io. 17, 17. Ephes. 1, 13.

9) Ies. 40, 13. 14.

Haec perfectissima Dei intelligentia dicitur interdum רוּחַ. Ies. 40, 13. Ps. 139, 7. et homo ἔχων πνεῦμα est, sciens ea, quae solus Deus scit, docuit, et docere potuit, quae vulgo nesciuntur ab hominibus. 1 Cor. 2, 10 sqq.

11. *Perfectissimam* Dei *voluntatem* esse, sic docetur et illustratur: Deum semper et vtique velle et agere, quod rectum est, expertem vitiositatis[1]), ne posse quidem appetendo aut agendo malum esse[2]), vnum verum doctorem[3]) ac certum exemplar[4]) boni esse. Quibus vno nomine comprehensis, Deus dicitur *sanctus*[5]).

1) 1 Io. 1, 5. et 3, 3. ἁγνός ἐστι. Ps. 33, 4. in dictis et factis rectus.

2) Iac. 1, 13. Ebr. 6, 18. 1 Sam. 15, 29. Veteres dixerunt ἀναμάρτητον.
3) Pſ. 119, tot. Rom. 12, 2. cf. Progr. primum de homine ſubmittente ſe Deo. p. 16. 17.
4) Matth. 5, 48. תָּמִים 1 Io. 3, 3 ſqq.
5) Leuit. 19, 2. Sanctus, ſemper bonus, ſemper vitii expers.

12. Sequuntur hinc, quae eamdem voluntatis Dei perfectionem confirmant et illuſtrant: Deum vtique[1]) poſtulare a praeditis ratione, vt et ipſi bonum expetant et agant, contrarium declinent[2]): bonum, quod fecerint, vtique cenſere bonum[3]), malum, quod fecerint, vtique cenſere malum[4]): discrimen boni malique innoteſcere hominibus voluiſſe[5]), id vero etiam ſanxiſſe, et, vt ſanxit, tueri, annexis[6]) bono commodis, malo incommodis, ne homines noſſent tantum discrimen, ſed etiam experirentur. Ita, quia Deus ſanxit bonum atque malum, et ſancita tuetur, vno verbo dicitur *iuſtus*.

1) Neceſſario, per naturam ſuam.
2) Leuit. 19, 2. 1 Theſſ. 4, 3.
3) εὐάρεστον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καλὸν παρὰ τῷ Θεῷ. יָשָׁר לִפְנֵי יְהוָה. Hoc magno ſolatio eſt, recte agentibus Deum non poſſe non cenſere, hoc recte factum eſſe: magno item incitamento, ſi viderint, ſe conſentire cum Deo.
4) βδέλυγμα ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ Θεοῦ.
5) Ratione et conſcientia duce, SSa monitrice, experi-

perientia, effectum declarante. Ergo locum habet ea, quae dicitur, imputatio.

6) Per naturam rerum et animi corporisque noſtri. Haec ita eſt inſtituta, vt, quamdiu talis eſt, tamdiu *certa* commoda ſequantur bonum, *quia* bonum *praeceſſit*, *certa* incommoda ſequantur malum, *quia* malum *praeceſſit* (natürliche und nothwendige Folgen). Illa commoda naturalia et neceſſaria, ſunt proprie dicta *praemia:* haec incommoda naturalia et neceſſaria, ſunt proprie dictae *poenae*. Tale discrimen (ἀφορισμὸς Matth. 25, 32.) manebit in aeternum: ita enim fore declarauit Deus.

Iuſtus eſt Deus, h. e. nectens bono neceſſarium commodum, nectens malo neceſſarium incommodum. 2 Theſſ. 1, 6. 7. *Iuſtitia* Dei eſt nitens ſanctitate Dei haec inſtitutio et moderatio rerum, quae Deum declarat *exacte aeſtimare moralia facta*, *remunerari moralia facta*. Quae iuſtitia etſi ab homine ſenſu externo et interno percipi poteſt: tamen olim demum ſine obſcuritate, nunc interdum reliqua, dispaleſcet. Rom. 2, 5 ſqq. 1 Cor. 4, 5. 2 Cor. 5, 10. Nexus incommodi cum male facto eſt ὀργὴ Θεοῦ.

Alia rerum externarum commoda et incommoda, (Luc. 13, 1 ſqq.) interdum tantum annexa nonnullis male et bene factis, (Matth. 9, 1 ſqq.) et habentia cauſas varias et diuerſas praeter recte et perperam facta, (2 Tim. 3, 12.) et euenientia ſaepe ne praegreſſis quidem bene aut male factis, (Io. 9, 1.) et ſic adeo euenientia, vt bonis hactenus male, malis bene ſit, haec ergo nec poſſunt nec debent facile dici poenae et praemia, niſi Deus ipſe declarauerit, ſecutura eſſe haec incommoda et commoda *nominatim ideo*, *quia* praeceſſerant bene vel male facta. (Leuit. 26. Deut. 28. Apoc. 2, 22. 23.) Cuiusmodi declaratio vbi praeceſſit, dicuntur poenae et praemia (ob declarationem et ſimilitudinem cum proprie dictis poe-

nis et praemiis), et quidem poenae ac praemia *e genere arbitrario seu positiuo*. Habent autem talia magis vim disciplinae.

13. Eamdem voluntatis Dei perfectionem tum quoque agnoscere docemur, cum voluntati coniuncta et annexa efficientia (operatio) describitur. Scilicet iuxta doctrinam Scr. S. satis est, vt aliquid extra Deum sit et fiat, quia Deus vult, vt sit et fiat[1]): quod Deus exsequi vult, id nulla re mutari aut irritum reddi potest[2]); omnia potius, quae sunt, fiunt, geruntur, omnes, qui agunt aliquid moliunturque, Deo subsunt, ab eo pendent[3]): nulla vspiam potentia aequat efficientiam Dei[4]). His vno nomine comprehensis, Deum appellamus *omnipotentem*[5]).

1) Ps. 33, 9. et 115, 3. Apoc. 4, 11.
2) Ps. 2. tot. Ies. 8, 10. Deus nemini subest, a nemine limitatur. 1 Cor. 15, 27. Ephes. 1, 11.
3) Vel sic, vt vim agendi et adminicula habeant a Deo; vel sic, vt in agendo limitentur a Deo. יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת. 1 Tim. 6, 15. Ier. 25. tot. Eph. 4, 6. עֶלְיוֹן אֲדֹנָי παντοκράτωρ. 2 Cor. 6, 18. Apoc. 11, 17. Quidquid est et fit, id cogitantes incipimus a Deo, definimus in Deo, quo nemo prior fuit, quo nemo posterior erit. Ies. 41, 4. Θεὸς τὰ πάντα. 1 Cor. 15, 28.
4) 1 Tim. 6, 15. ὁ μόνος δυνάστης.
5) שׁדי. Haec summa potentia, vni Deo propria, dicitur etiam רוּחַ. Ps. 33, 6. Iob. 33, 4. Matth. 12, 28. et λαβὼν πνεῦμα καὶ δύναμιν. Act. 10, 38.

est is, qui accepit vim, quam vulgo homines non habent, facitque, quae homines vulgo non possunt.

Deus volens, vt extra ipsum aliquid sit et geratur, alio nomine dicitur Deus *decernens*.

Re vera vnum tantum Dei decretum est, condendi mundum, in quo essent et fierent, quae in eo sunt fiuntque: etsi nos cogitatione nostra, quidquid eius decreti ambitu comprehensum est, spectamus vt plura decreta. cf. Griesbachs populäre Dogmatik. §. 67.

Deus *libere* vult seu decernit, h. e. partim, *sponte* beneuolus est, [non permotus demum et veluti prouocatus ad volendum praegressis nostris factis. Iob. 41, 2. Rom. 11, 35. Ephes. 2, 8. 9. 10. Tit. 3, 5. Vnde voluntas aut consilium aut decretum benefaciendi dicitur χάρις, ἐκλογή, Ephes. 1, 4. ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, beneuolum propositum, Rom. 9, 11. חֵפֶץ Ies 53, 10.] partim, *suas* habet ipse *causas*, *non aliunde suspensas*, [non adstrictus est his causis dandi, non dandi, subtrahendi, restituendi, quibus de causis nos opinamur eum debere dare, negare, subtrahere etc. Rom. 9, 6 sqq.] Sed tum quoque eum *libere* decreuisse dicimus, cum *nos necessitatem* hoc potissimum, et hoc maxime modo, volendi *explicare non possumus*. Deus ergo, libere volens, non est, Deus pro arbitrario lubitu, per arbitrium merum, causis idoneis destitutum, volens, quasi pro ratione stet voluntas. Cf. p. 7.

De variis voluntatis diuinae diuisionibus, inter veteres notis, v. Baieri theol. pos. p. 194.

14. *Omnibus praesentem* Deum vbi Scriptores sacri describunt[1]): ibi nolunt praebere occasionem quaestioni de ἀδιαφασίᾳ substantiae Dei[2]); sed monstrant πραχτικῶς perfectionem scientiae et efficientiae Dei summam, siue docent, scire Deum, quid-

quid vllo tempore vllo in loco sit fiatque[3]), et agere Deum in omnia, quae vspiam sint[4]): efficiuntque his docendis, ne opinemur, Deum loco certo comprehensum, vt corpora suis insunt locis[5]), impediri, quo minus sciat ea, et agat in ea, quae extra eum sunt.

1) Ps. 139, 8. Ier. 23, 23. 24.

2) Latini indistantiam et adessentiam appellarunt. (cf. Gerhardi Loc. theol. Exegef. T. 1. p. 287 sqq. Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 600 sqq.) Libri sacri per ea, quae de Deo omnipraesente tradunt, volunt nos ducere ad reuerentiam, cautionem agendi, et fiduciam. Haec fieri possunt sine istis de substantia Dei praesente disputationibus.

3) Ps. 139. Amos 9, 1 sqq.

4) Nam quotiescumque Deus alicui adesse dicitur, toties intelligitur Deus auxiliator. Quoties item aliquo nominatim venire, alicubi nominatim praesens esse, alicunde nominatim discessisse dicitur, toties intelligitur Deus memorabile quid agens, inprimis benefaciens, aut notabili modo auxilium subtrahens. Ergo Deus, rebus praesens, est, Deus in res agens. Ier. 43, 2. אתך אני. Leu. 26, 11. 12. Ies. 54, 7. 8. Cf. locos, signis conspicuam Dei παρουσίαν describentes.

5) Deus est infinitus, immensus (nullo spatio inclusus aut exclusus). 1 Regg. 8, 27. Cum ergo Deus *in caelo* esse dicitur: non tam dicitur ibi esse, vt corpora in suo quodam loco; quam potius, (quoniam שמים proprie significat *altum*, τὸ ὕψος,) significatur per ea verba, *Deus in alto siue excelso*, idem quod per haec verba, nobis clariora, Deus *superior omnibus*, *omnium summus*, quatenus operatur. Ps. 115, 3. Iob. 16, 19. Ceterum nonnulli

per verba, *Deum esse in caelo*, indicari peculiare genus praesentiae diuinae, genus manifestandi se, autumant. cf. Crusii Plan des Reichs Gottes. p. 25. 71. 72. Müllers Darstellung der Glaubenslehre. p. 103.

15. Declaratur etiam perfectio summa intelligentiae voluntatisque Dei per doctrinam de eius *immutabilitate*[1]). Scilicet Deus, *volens* aliquid extra se esse et fieri, siue decernens aliquid (§. 13), non mutat aut retractat voluntatem seu decretum[2]): *declarans* rursus hominibus diserte, vt fit in SSa, se voluisse seu decreuisse aliquid efficere et tribuere[3]), praestat id, quod declarauit[4]). Insigni ergo intelligentia, constantia et vi efficiendi valeat necesse est, qui nec opus habet, nec potest per naturam suam, mutare voluntatem et decretum[5]).

1) Ea spectari potest, *qua Deus est*: (tum vero aeternitas eius est §. 6.): aut *qua Deus scit:* (tum vero est aeterna eius omniscientia et vacuitas ab omni errore §. 10): aut *qua Deus vult agitque:* (et sic potissimum libri sacri eam tractant, etiam Iac. 1, 17).

2) Ebr. 6, 17. τὸ ἀμετ. τ. β. Cf. nomen יְהוָה i. e. constans et sui similis, peractor operis instituti. Exod. 3, 15. et 6, 3. vid. Progr. 3. de notitia relig. in Dissertt. Vol. II. p. 49.

3) Hae declarationes sunt pars illius דְּבַר יְהוָה, et dicuntur interdum κατ' ἐξοχὴν דְּבַר יְהוָה, et continent promissiones, comminationes, doctrinas de consilio salutis nostrae procurandae exsequendo, et opere perficiundo.

4) Hoc sensu Deus est *verax*. Io. 3, 33. [1 Io. 5, 20.] 1 Cor. 10, 13. 2 Cor. 1, 18. Hoc sensu dicitur ἡ πίστις τοῦ Θεοῦ. Rom. 3, 3. 2 Tim. 2, 13: *non potest agere contra, quam declarauit*, non possunt eius facta cum voluntate et verbis pugnare. v. Progr. 2. de notitia rel. in Diss. Vol. II. p. 37.

5) Ebr. 6, 18. 1 Sam. 15, 29. Rom. 11, 29. Vbi ergo poenituisse Deum dicitur, ibi id ἀνθρωποπαθῶς exprimitur. Vbi per hominum peccantium, et in viam redeuntium se gerendi rationem mutari dicitur Deus, ibi proprie Deus (Dei mens et voluntas) non mutatur; sed homo mutat rationem se gerendi, potestque accipere ex aeterno Dei instituto, quod antea non poterat accipere ex eodem illo aeterno instituto.

Iurans ergo Deus vult humana consuetudine imitanda docere, declarationem suam plane conuenire cum mente et sensu animi. Ebr. 6, 13 sqq.

Sensus animi humani transeuntes, qui incipiunt fieri acriores, et desinunt esse tales (affectus), non possunt Deo adscribi.

16. Cum Scriptores sacri hanc vnius veri Dei notam exhibeant, eum esse vniuersi conditorem, conseruatorem et moderatorem (§. 3): sequitur inde, vt cum notione Dei illud coniungamus, nos quoque singulos per eum esse, permanere, et quidquid habeamus, ab eo habere, Deumque esse etiam *nostrum* Deum.

17. Quodsi haec bona sunt, nosque exhilarant, esse, permanere, multa vndiquaque habere: Deus, dator conseruatorque

horum, beneficus est. Si beneficus est re, idem est beneuolus mente.

18. Qualis est nobis singulis, talis est vniuerso. Sed beneuolus et beneficus, haud dubie censendus est amare. *Amat* ergo Deus vniuersum, amat homines, amat me.

19. *Amorem* Dei, h. e. beneuolentiam et beneficientiam, sacri libri non confirmant tantum enumeratione bonorum, cuivis rei paratorum; sed et eo, quod Deum nominant Patrem hominum[1]), quod eum mera bona tribuere docent[2]): tum et inde, quod, cum homines in praesentibus rerum humanarum viciſſitudinibus titubent ignoratione modi et exitus, Deus viam monstrat[3]), et auxilium ad exitum promittit[4]), quod miseris opem fert[5]), quod mentes hominum curat et veluti educat aeternitati[6]), quod eorum, qui peccant, salutem procurat, procurabitque in aeternum[7]), et sic iis per Filium suum Patrem se praebet[8]).

1) Ies. 63, 16. Malach. 1, 6. Matth. 23, 9.

2) Iac. 1, 17. πᾶν ἀγαθὸν, mera bona, nihil noxium aut inutile. Matth. 7, 9 sqq.

3) Praesidiis vti cum fiducia in Deo.

4 Ineffabile beneficium est, Deum non tantum siuisse nos argumentando cognoscere, eum nobis adfuturum; sed et promisisse, se certo adfuturum.

5) Haec beneuolentia et beneficientia erga miseros nominatur *misericordia* Dei.

6) πατὴρ πνευμάτων. Ebr. 12, 9.

7) vid. locus de salutari gratia Dei. Et hoc documentum amoris κατ' ἐξοχὴν nominatur ἀγάπη, χάρις.

8) 2 Thess. 2, 16.

20. Hanc voluntatem benefaciendi dum literae sacrae fuisse aeternam[1]), et fore aeternam[2]) ostendunt: indicant, praeueniſse Deum nos, antequam fuimus, aut homo vllus, aut ipse mundus fuit; et docent, nos vere beatos esse posse, et e consilio Dei debere, quippe qui, semper fruendo destinati, semper liquide sperando transigere vitam queamus.

1) Ier. 1, 5. et 31, 3. non a longo inde tempore, sed ab aeterno amauit. Cf. locum de salutari gratia.

2) Ps. 90, 1.

21. Hunc Deum, sciendo, volendo et agendo talem ac tantum, Paulus vere dixit *beatum*[1]), et vbiuis sacri Scriptores vere nominant nobis *incomprehensum*[2]). Nos quoque nostris verbis eum vere dicimus infinitum, illimitatum, immensum, independentem[3]), omni imperfectione vacuum.

1) 1 Tim. 6, 15.

2) Ps. 139, 6. 1 Tim. 6, 16. Rom. 11, 33. Ies. 40, 28.

3) Indicamus enim his vſi verbis, remouendum a Deo eſſe, quidquid limitum nos ſciamus, loci, temporis, ortus, interitus, ſcientiae, operationis, omnisque mutationis. Plures τὸ *immenſum* nominatim referunt ad id, de quo §. 14. not. 2. et 5. dictum eſt.

22. Omnem Dei perfectionem ſummam nominant libri ſacri כָּבוֹד, δόξαν, קְדֻשָּׁה, ἀρετὴν et ἀρετὰς[1]), ipſumque Deum ſaepe hoc ſenſu ἅγιον, quia ob magnitudinem ſummam venerandus eſt[2]), אֵל, אֱלֹהִים.

1) 2 Petr. 1, 3. 1 Petr. 2, 9.
2) Ieſ. 6, 3. Inde Deus ἁγιαζόμενος, ἁγιάζων ἑαυτὸν, (factis declarans ſuam maieſtatem et perfectionem) Ezech. 38, 16. et 39, 27. et homo ἁγιάζων τὸν Θεὸν, Ieſ. 8, 13. 1 Petr. 3, 15. Ceterum cf. §. 11.

23. Huic tali ac tanto Deo, ob hanc ipſam magnitudinem, admirabunda debetur veneratio, cum profundo ſenſu humanae exiguitatis (ταπεινότητος): ob id, quod docendo et remunerando discrimen boni malique ſtatuit, venerabunda obtemperatio: ob id, quod beneficia exhibet, ſeque exhibiturum promiſit, gratus animus, immota fiducia, imitatio. Omnino decet hominem, cogitationem omnem naturae diuinae conuertere ad argumenta virtutis, ſenſus vitamque referre ad Deum, et cum Deo cogitando nectere. Ea enim demum eſt ſtabilis virtus, quae ſuſpenſa eſt e notio-

ne et natura Dei. Haec virtus tam aeterna erit, quam ipse Deus aeternus est. Beatos ergo nos, qui notitias aeternum veras hausimus e Dei notione et natura, qui sensus aeternum bonos inde concepimus, et, inchoantes vitam, agere didicimus, quae continuaturi eam aeternum agemus!

Attributum Dei est praedicatum Dei necessarium, ob essentiam ei tribuendum.

Diuidi solent attributa Dei in negatiua et positiua, agentia et quiescentia.

PARTIS PRIMAE
CAPVT SECVNDVM.
De Deo Patre Filio et Spiritu Sancto.

I.

Notitia Dei Patris Filii et Spiritus Sancti per Scr. S. eo exhibita est, quod is, qui verus Deus est, saepe[1]) nominatur Pater Filii sui, per quem salutem hominum procurauit: quod idem dicitur[2]) hominibus largiri Spiritum suum, per quem iis ad quaerendum et exercendum morale bonum prodest, h. e. ad scientiam, tranquillatricem mentis, et emendatricem animi vitaeque, admittendam probandamque, et ad huius effectum, seu sensus rectos et recte facta, futuraeque beatitatis certam praeparationem.

1) Inprimis in N. T. libris. Cf. Ps. 2, 7.
2) Ps. 143, 10. et alibi et in N. T. saepe.

2. Haec notitia haud parum grauitatis eo adepta est, quod, ex instituto Christi*), in ipso aditu ad religionem christianam per baptismum, profiteri debemus Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

*) Matth. 28, 19.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0089
DFG

3. Hic Filius et Spiritus Sanctus, per quos Pater nobis illa beneficia exhibet, et quos aeque ac Patrem profiteri debemus, sic quoque describuntur, vt aeque ac Pater omnes omnino res creatas longe antecellant, vt vna cum Patre a ceteris rebus omnibus penitus diuersi sint.

4. In hac doctrina ponitur et sumitur, Patrem ea omnia habere, quae naturam et notionem veri Dei continent (cap. 1. §. 3. 9.), et sic antecellere ceteras omnes res. Vnde ibi vt plurimum intelligitur Pater, vbi simpliciter ponitur *Deus**).

*) v. c. Act. 14, 15. et 17, 24. Rom. 13, 1. 2 Cor. 1, 9. Ebr. 4, 12. *Simpliciter*, h. e. non facta diserte mentione Filii et Spiritus: nam haec vbi fit, ibi per se apparet, *Dei* vocabulo Patrem exprimi. Plurimi tamen malunt, vbi verbum *Deus* simpliciter ponitur, ibi illud dici ἁπλῶς; vbi vero Patris, Filii, et Spiritus mentio distincta fit, ibi illud ὑποστατικῶς dici.

5. Ergo seorsim quaerendum est, in quo potissimum insit summa excellentia Filii et Spiritus, propter quam vna cum Patre rebus omnibus aliis anteferuntur, ab iisque diuersi sunt (§. 3).

6. Reperimus autem doceri, Filium in initiis mundi iam fuisse[1]), ideoque ante mundum conditum fuisse[2]), per eum adeo

conditum esse mundum[3]), per eumdem conseruari et gubernari omnia[4]), eum habere et posse eadem[5]), quae Pater habet et potest, eumque adeo, quippe aequalem Patri[6]), cultu aequali a nobis prosequendum esse[7]). His ergo rebus continetur summa Filii excellentia.

1) Io. 1, 1.

2) Hoc partim fluit ex ipsa re: nam qui iam fuit tum, cum mundus esse coepit, is prior mundo (προαιώνιος) fuit: partim legitur Col. 1, 17. et sequitur e Io. 17. 5. *fac innotescat nunc ea maiestas mea, cuius ante mundum conditum particeps fui.* Quemadmodum ergo per creationem mundi, per hoc opus Dei, innotuit *aeterna* (προαιώνιος) *Dei potestas* (Rom. 1, 20.), quam ab aeterno habuit, et propter quam condere mundum potuit: sic per propagationem euangelii et ecclesiae, per hoc opus Christi, innotuit προαιώνιος *Christi maiestas*, quam ab aeterno ante mundum conditum habuit, et propter quam nunc potest esse dominus coetus sui, propagare et tueri doctrinam suam. Cf. p. 44. §. 6. n. 2.

3) Io. 1, 3. cf. omnino v. 10, vbi ὁ κόσμος dicitur. Col. 1, 16. Ebr. 1, 2. Ex hoc loco capi potest exemplum loquendi de hac re: *Pater per Filium creauit omnia.* Ceterum δι' ὃν et ἐξ οὗ nihil differunt, quasi illud minus sit hoc; nam legitur etiam de Patre, δι' οὗ τὰ πάντα, Ebr. 2, 10.

4) Col. 1, 17. Ebr. 1, 3.

5) Matth. 28, 18. Io. 5, 21. 27. Io. 10. 28. 29. [Quod Pater praestat, idem praestat Filius. Pater praestat, quia potentior (μείζων) omnibus est. Filius praestat, quia ipse et Pater sunt ἕν, seu quia talis

Filius est, qualis Pater, ipse quoque μείζων πάντων, κύριος πάντων, δυνάμενος ἑαυτῷ ὑποτάξαι τὰ πάντα (Phil. 3. vlt.), ideoque etiam a nobis pro vno (pares) censendi, et ab vno idem, quod ab altero, exspectandum.] Est rursus palam, eum vt καρδιογνώστην et omniscium describi, qui, *iustissimus* olim omnium iudex, vel occultissima sensa remuneraturus sit. (1 Cor. 4, 5.)

6) Phil. 2, 7. τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Cf. Col. 1, 15, Ebr. 1, 3. 2 Cor. 4, 4. εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, *refert imaginem maiestatis Dei.* Et vbi Iesus defendit, se iure *aequiparare se* Patri, docet, se habere, posse et agere eadem, quae Pater habet, potest et agit. Io. 5. 18 sqq. et 10, 28 — 34.

7) Io. 5, 23. Colitur autem, vt Pater, cum eius doctrina suscipitur, et viuendo exprimitur, vti Patris doctrina suscipitur, et vita omni exprimitur: cum in eo fiducia ponitur, vt in Patre: cum ab eo salus petitur et exspectatur, vt a Patre. Cf. Act. 7, 59. exemplum precum ad ipsum Christum conuersarum, et tot dicta apostolorum, christianis a Christo aeque ac a Patre apprecantium χάριν. Inanis ergo est distinctio inuocationis et adorationis, quasi non illa, sed haec tantum Filio debeatur.

Vid. Spener von der ewigen Gottheit Christi. (Francof. 1706.) Plures de eadem re scriptores nominauit Cotta ad Gerhardi Locos. T. 1. p. 277. Cf. Flatt commentatio de symbolica ecclesiae nostrae sententia de deitate Christi. Gotting. 1788. Aspontani epistolae ad Plimmelium de deitate I. C. Lipsiae 1789.

7. Ex his de Filii excellentia dogmatibus iudicamus, quo sensu dicatur Deus[1]), quoue sensu interdum Filius Dei nominetur[2]): concludimus item, ei esse vno ver-

bo naturam diuinam adscribendam[3]). Haec est illa summa excellentia.

1) Io. 1, 1. Luc. 1, 16. 17. Nempe dicitur sic propter attributa et opera diuina.

Sed 1 Tim. 3, 16. et Act. 20, 28. incerta lectio est. Rom. 9, 5. admodum verisimiliter refertur ad Christum: ambigitur tamen, non tam de lectione (v. Millius ad h. l. et Bengelius in app. crit.), quam de distinctione. (v. Erasmus ad h. l.)

2) Io. 1, 14. et 5, 17 sqq. Hic ita se dicit Filium Patris, vt ei se aequiparet, et in quo sit aequalitas, pluribus describat.

Sed Filius Dei interdum etiam significat dilectum Patri, Rom. 8, 32. praesertim cum alibi describatur, vt *inprimis* carus ei, Matth. 3, 17. Alibi indicat eum, qui locum Dei tenet inter homines. Io. 10, 34—37. Alibi promissum illum Psalmo secundo regem et dominum, nomine Filii Dei ibi insignitum: Io. 1, 50. et 11, 27. vnde Iudaeos, Messiam exspectantes, eum Filium Dei nominasse, et in hoc nomine promissum nomine Filii Dei Messiam cogitasse, apparet.

3) Hoc negarunt olim Photiniani, negantque etiamnum Sociniani.

8. Vbiuis autem SSa de hac Filii excellentia sic loquitur, vt, quae Filius habeat, ea per Patrem habeat[1]): quae det atque agat, ea Pater per eum det atque agat[2]). Ipse quoque omnia, quae habet et agit et dat, refert dicendo et agendo ad Patris δόξαν, referrique a nobis vult eodem, et iudicando, et imitando.

1) Io. 5, 22. 26. 27.

2) Per eum creauit. Ebr. 1, 2. Pater eum regem et dominum constituit.

Quod autem *Filius per Patrem est, et talis est, qualis est:* (ad quas quidem propositiones duas ducit partim nomen Patris, partim id, quod dedisse Pater Filio dicitur, vt sit talis:) id ecclesiae doctores sic expressérunt, Filium e Patre natum esse: (v. Symb. Nicaen.) Multi eum productum a Patre dixerunt: (v. Hunnii Epitome Credendorum p. 65. Gerhardi Locos. Exeg. T. 1. p. 429.) aut, Filium a Patre habere essentiam: aut, Patrem cum Filio communicasse essentiam; et hanc ipsam notionem subiecerunt his Psalmi secundi verbis, Filium a Patre *generatum* esse, idque ab aeterno, atque generationem appellarunt τρόπον ὑπάρξεως Filii, modum habendi essentiam. (Cf. Crusii Plan p. 54. et Theol. proph. Tom. 1, p. 107). Alii non hoc vtrumque, Filium esse et talem esse per Patrem, sed vnum illud, Filium *talem* esse per Patrem, ad generationem retulerunt. (Seiler über die Gottheit Christi, p. 115 sqq.)

In Psalmo autem illo potius hoc dicitur: In praesenti declaro (per facta), fisto et exhibeo te Filium meum, ich stelle dich nunmehr hiemit als meinen (zum Herrn bestimmten) Sohn dar: id quod Deus facit tum, cum Filium misit, et praesertim per eius reditum in vitam documento comprobauit, hunc esse illum Filium suum, destinatum imperio in omnes homines. Rom. 1, 4, Act. 13, 32 sqq. Et sic quoque commodum sensum habet Ebr. 1, 5. et 5, 5.

Ceterum theologi discernunt generationem actiuam et passiuam: nominant hos characteres personales: et generationem dicunt opus Dei ad intra. In populari institutione sufficiet, generationem hanc describere eo, quod Filius talis est, qualis Pater, vt nomina Patris et Filii inter homines, indicant

dicant eos, qui sunt natura coniuncti, eadem natura.

9. Hic Dei Filius, cum Iesu Nazareno singulari modo coniunctus, (qua de re infra dicetur P. 4. C. 2. S. 1. §. 8.) quoniam salutem hominum peculiaribus beneficiis procurauit: haec beneficia ob eius, qui ea procurauit, tantam dignitatem singulare pretium habent: et prouti de eius dignitate statuerimus, ita etiam euergetae tanto officia praestabimus. Vnde non ἀδιάφορον est, dignitati eius detrahere, aut Iesum Christum censere merum hominem.

10. Reperimus porro doceri, Spiritum Sanctum habere[1]) et facere[2]), quae Deus verus habet et facit: in primis dicitur in omnibus efficere et perficere emendationem, quae constanter describitur, vt res, a Deo solo proprie procuranda, et Deo soli proprie in acceptis referenda, propter impedimenta perpetua et grauissima, omnibus hominibus communia et insuperabilia[3]): ponitur item eodem, quo Pater et Filius, dignitatis loco, vel sic, vt coli debere cum Patre Filioque dicatur[4]), vel sic, vt id haud dubie Deus agere dicatur, id diuinum opus sit, quod Spiritus Sanctus agit[5]), atque is aduersus Deum omniscium καρδιογνώσην

peccet, qui aduersus Spiritum Sanctum, pectoris sensa perspicientem, peccat[6]).

1) 1 Cor. 2, 9 — 13. scire consilia Dei, ei soli nota, aliis omnibus vtique ignota. Io. 16, 13. futura praescire.

2) 1 Cor. 12, 4. 11.

3) Io. 3, 5 sqq.

4) Matth. 28, 19.

5) Quidquid fit per πνεῦμα ἅγιον, aut πνεῦμα Θεοῦ, id spectatur semper, vt res effectionis diuinae. Nec dubitare patitur consensio totius SSae, cum verbis ἅγιον πνεῦμα notionem diuinitatis coniungendam esse.

6) Act. 5, 3 — 10.

11. Ex his dogmatibus de Spiritus Sancti excellentia (§. 3.) concludimus, ei esse vno verbo naturam diuinam adscribendam. Et cum huius naturae Spiritus efficiat perficiatque morale bonum: sequitur, ob gravia, nobisque omnibus communia huius boni impedimenta, nihil tamen a nobis desperandum; sed tanto fortius nitendum eo esse, fretis hac spe, fore vt, talis naturae Spiritu iuuante, tamen tandem ad possessionem virtutis veniatur.

Quod autem *Spiritus per Patrem est, et talis est, qualis est:* (ad quas quidem duas propositiones ducit, quod Spiritus Dei, Spiritus Patris, a Patre dari mittique dicitur:) id quoque doctores ecclesiae sic expressérunt, eum a Patre habere essentiam, aut, Patrem cum eo communicasse essen-

tiam, idque ab aeterno: et hanc ipsam notionem subiecerunt illis verbis (Io. 15, 26.), Spiritum a Patre *procedere*. Alii tantummodo hoc, Spiritum *talem* esse per Patrem, in hoc verbo intelligunt.

In Ioanneo autem loco potius eo sensu dicitur procedere, quoad missus a Patre ad homines egreditur, et venit ad homines.

Latina ecclesia porro contra Graecam defendit, Spiritum etiam a Filio procedere, seu essentiam habere, quia mittatur a Filio, et Filii Spiritus dicatur, v. Ger. Io. Vossii dissertt. tres de tribus symbolis. p. 66 sqq. (Amstelod. 1662.) Io. Georg Walchii historia controuersiae de processione Spiritus Sancti. (Ienae 1751.) Eiusdem introductio ad LL. SS. p. 139. Cotta ad Gerhard. T. 1. p. 338. Prokopowicz christiana theol. orthodoxa. Vol. 1. p. 825 sqq. (Lipsi. 1782.), vbi etiam historia huius controuersiae exstat. Historiam dogmatis de Sp. S. adumbrauit Zieglerus (theologische Abhandlungen Vol. 1. p. 77. Gotting. 1791.)

Hanc omnem rem nominant theologi opus Dei ad intra: vtuntur de ea vocabulo non biblico, *spiratio*: discernunt actiuam et passiuam spirationem, faciuntque hos characteres personales. In populari institutione de illo *procedere* sufficiet monere, Spiritum talem esse, qualis est Pater et Filius.

12. Quod autem doctores ecclesiae Patrem Filium et Spiritum Sanctum personas tres [Subiecta, Suppositа, πρόσωπα, ὑποστάσεις, ὑφισάμενα[1])] dixerunt: vno verbo id, quod passim exstat in SSa, exprimere voluerunt, eos esse ab se inuicem sic distinctos[2]), vt singulis sua intelligentia et sua actio tribuenda sit[3]). Sic ergo remouere

quasdam aliorum sententias 4) vno verbo studuerunt.

1) De vsu horum vocabulorum v. Gerhardi Locos, exegef. T. 1. p. 344 sqq. Hunnii epitome credendorum. p. 39. 42.

2) ἄλλον καὶ ἄλλον veteres dixerunt: non autem ἄλλο καὶ ἄλλο.

3) Filius est is, per quem Pâter opus exsequitur, qui mandata Patris suscipit et peragit libenter, et accurate iis se adstringens, et omnia propter Patris δόξαν agens.

Spiritus est is, per quem Pater continuat opus docendi, a Christo coeptum (Io. 14, 16): qui mandata Patris suscipit et peragit, λαλεῖ, ὅσα ἀκούει (Io. 16, 13. Haec sunt haud dubie praedicata subiecti intelligentis, λαλεῖ, ὅσα ἤκουσε.): qui conformem Christi doctrinae doctrinam continuat (Io. 16, 14, 15), ideoque proprie et concreto vocabulo dicitur auxiliator apostolorum (Io. 14, 16), talis et eo sensu, qualis et quo sensu Christus fuerat; non autem abstracto vocabulo, auxilium: qui, vt Pater, regem vniuersum, nominatim et determinate omnia per omnes efficit (1 Cor. 12, 6), et vt Filius, dominus coetus sui, nominatim et determinate multos in eo occupat ministros (1 Cor. 12, 5), qui ergo Spiritus sic nominatim et determinate efficit per omnes omnia, ad doctrinae christianae propagationem et fructum spectantia (1 Cor. 12, 4. 11): qui, cum dicatur λυπεῖσθαι (Ephes. 4, 30), describitur vt is, qui improbat ingratum abusum beneficiorum, ab ipso datorum, vt is, cui displicet ille abusus, qui nouit, abuti quosdam iis bonis, et hunc abusum diiudicat. cf. Vitringa ad Ies. 63, 10.

4) Alii Christiani putarunt, Filium esse rationem (λόγον) Dei, Spiritum esse vim Dei: verba, Pater Filius et Spiritus, exprimere qualitates, operationes,

nomina vnius veri Dei: et quae fuerunt alia, nobilitata per Macedonianas Sabellianasque controuersias. Cf. de Sabellianis Moshemii comment. de rebus christ. p. 680 sqq. De Macedonianis Socratis H. E. 5, 8. Sozomeni H. E. 7, 7.

13. In hac omni doctrina illud impeditum manet, (etsi variae explicationes tentatae sunt[1]) quo sensu et modo hi tres ita habeant naturam diuinam, vt tamen Deus sit vnus (C. 1. §. 5.). Vnde rem simpliciter eloquimur, et Patri Filio Sanctoque Spiritui, his tribus distinctis, communem esse diuinam naturam, seu diuinas perfectiones[2]), docentes, declarantes simul, ideo non statui, alium alio plus minusue habere, nec statui, plures Deos esse[3]).

1) De Arianismo v. Moshem. Inst. H. E. p 165. et scriptores de concilio Nicaeno, indicatos in Fabricii bibl. Gr. Vol. II. p. 354. Historiam sententiarum de Trinitate, etiam Clarkianae (Schriftlehre von der Dreyeinigkeit. Frf. 1774), et eius, quae Subordinationem (exsistentiae, cultus, operationis) trium personarum ponit, v. in Seileri libro (über die Gottheit Christi), et in Doederleini institutione theologi. Vol. I. §. 114 sq. Cf. Cotta ad Gerhard. Locos, T. I. p. 212. et Eiusdem historia dogmatis de Trinitate, quae Tom. 2. Locorum Gerhardi p. 324. inserta est. Doctrinam scriptorum eccles. antiquissimorum de Deo trinuno exposuit Burscherus. Lips. 1780. Addatur Bockii historia Antitrinitariorum, maxime Socinianismi. Regiomont. 1774.

2) Inualuit rem nominare ὁμοουσίαν, (v. Suiceri Thes.

eccl. h. v.) consubstantialitatem. Sunt et multae formulae ad exprimendam hanc sententiam introductae, quibus tamen nemo adstringi debet. (v. Hunnii epitome credendorum pag. 39. 42.)

Huius sententiae defensio est doctrina de Trinitate strictissimo sensu, *tres distinctos coniungens unitate essentiae*: quae sententia et in publicis coetus nostri libris probata est. Sed Trinitatis vocabulum (vt cum dicimus, beneficia Trinitatis, et Graeci ἁγίαν τριάδα dixerunt) significat etiam interdum simpliciter tres illos, Patrem Filium et Spiritum.

3) Cf. Baieri theol. posit. p. 207. Griesbachs populäre Dogmatik. §. 62 sqq. Silberschlags Lehre der Schrift von der Dreyeinigkeit Gottes. Berol. 1783.

14. Ceterum (missis studiis nimiis definiendi, quae maxime sit trium illorum interior relatio §. 13, et quo maxime fundamento nitatur §. 8. 11.) a Patre per Filium et Spiritum Sanctum exspectamus et petimus ea beneficia, et eo modo, quae et quo modo ab iis exspectanda et petenda esse docemur, h. e. a Patre per Filium doctrinam salutarem, peccati veniam, aeternamque salutem; per Spiritum adiumentum ad morale bonum. Sic colimus Patrem cum Filio et Spiritu, iisque vere diuina, nec ab alio vllo exspectanda beneficia referimus accepta. Hoc scire et agere, Christianis sufficit.

2 Cor. 13, 13. Cf. Dissertationes pag. 357 sqq.

Singulare plane nomen, quod Ioannes Filio Dei tribuit, ὁ λόγος, etsi originis incertae est et significationis, siue e V. T. repetatur[1]), siue ex more aliorum, ad hypotheses suas eo vtentium, fluxerit[2]), siue abstractum pro concreto positum existimetur, vertaturque, *magnus ille et eximius doctor*[3]), tamen haud dubie eam personam ipsam, quam Ioannes baptista antecessit, et de qua vt de Dei Filio testatus est, indicat, nec est vsu linguae Graecae aestimandum.

1) Repetunt multi e Psalmo 33, 6. (v. tamen p. 50. §. 13.) aut 2 Sam. 7, 21. coll. 1. Paral. 17, 19. (Deyling. Obs. sacr. Vol. 1. no. 33.) Alii saltem e Chald. paraphr. V. T. et obuio ibi מֵימְרָא יְהוָה. (v. Fesselii aduersar. sacr. praefat. p. 2. Olear. ad Matth. p. 247.)
2) Cf. Witsii Miscell. sacr. T. 2. exerc. 3. Carpzou. Exercitt. in ep. ad Hebr. in prolegom. l. 7. c. 1. Storr über den Zweck des Evang. und der Briefe Iohannis. Tubing. 1786.
3) Doederlein institut. theol. T. 1. p. 322.

Locus 1 Io. 5, 7. incertus est.

PARTIS PRIMAE
CAPVT TERTIVM
De Creatione vniuerſi.

1.

Cum Pentateuchi initium, tum alii plures ſacrorum librorum loci docent, vniuerſum creatum eſſe per Deum.

2. Tum, cum Deus mundum creauit, voluit volendoque effecit[1]), vt tum maxime oriretur vniuerſum, quod vt aliquando oriretur, ab aeterno voluerat. Ergo Deus creans (vbi verbum hoc κατ' ἐξοχὴν[2]) dicitur) eſt, volendo efficiens, vt oriatur mundus.

1) Apoc. 4, 11 (voluntas). Pſ. 33, 6. Ier. 32, 17 (efficientia). Ebr. 11, 3. (πίστει, *fidem habentes doctrinae V. T. cognoſcimus, diuina vi mundum conditum eſſe.*) Creatio igitur, quae merae voluntati efficienti, aut infinitae potentiae Dei, tribuitur, non fuit formatio mundi e materia priore.

Theologi creationem appellant *opus* Dei *ad extra*: et adſcribunt Patri appropriatiue ſeu terminatiue.

Formula incommoda et ambigua, *mundum e nihilo creatum eſſe*, fluxit e vulg. verſ. 2 Macc. 7, 28. Ea cum vtimur, hoc dicimus: *Etſi nihil aderat*, vnde fieret mundus, tamen Deo volente atque efficiente coepit oriri et eſſe mundus. (Moshe-

miana disputatio, inserta Cudwortho (p. 957), historiam sententiarum, quas philosophi veteres protulerunt, tractat.).

2) De primo rerum omnium ortu. Alias dicimus ea quoque a Deo creari, quae, iam condito mundo, singula singulatim, vnum ex altero, incipiunt esse: vt indicemus, omnia, quae sunt, ad auctorem Deum referenda esse, qui produxerit, vnde singula orirentur, et nunc quoque velit efficiatque, vt oriantur. Ioh. 33, 4.

Cf. paulo ante cap. 2. §. 6. n. 3. de illo, Patrem creasse per Filium.

3. Mosis narratio[1]), eaque simpliciſſima[2]), de creatione ex vna parte docet, aliquando coepisse vniuersum esse, et per Deum esse coepisse[3]), et institutionem, nexum, destinationem omnium a Deo esse[4]): ex altera parte refert[5]), tellurem nominatim successione quadam, eaque celeriore, in eam formam et conditionem redactam esse, qua nunc est[6]).

1) Non est allegoricus sermo.

2) Non est basis theoriae physicae aut mathematicae: nec meris originem debet philosophematibus, narrando traditis ad posteros, cum repetatur vt narratio de re, in facto posita. Exod. 20, 11. et 31, 17.

3) Gen. 1, 1. Mundus ergo non aeternus est. Deus ergo a mundo diuersus est. cf. cap. 1. §. 3.

4) Ibid. v. 2 sqq.

5) Ibid. v. 2 sqq.

6) Siue hoc factum sit tum, cum est producta, (v. Silberschlags Geogonie), siue tum, cum est instau-

rata. (v. Dathius ad init. vers. Lat. Genes. Rosenmülleri historia telluris antiquissima. Doederlein instit. theol. Vol. 1. §. 124 sqq. scriptores in vtramque partem nominauit. Beck de fontibus sententiarum de creatione. Lipsi. 1782.)

4. Quod ad nos homines attinet, est nobis mundus eo consilio conditus, vt quisque nostrum, cum primum nascitur, et per omnem vitam, in suo genere sibi parata habeat commoda: vt contuendis, fruendis tractandisque rebus circumiectis rationem excolat, et agendo exerceatur: vt agnoscat, esse horum omnium auctorem, eum nos amasse et amare pergere, quibus paratae sint tot res nobis aptae, et penitus tamen extra potestatem nostram positae, eum omnia sapientissime nexuisse, eum esse potentissimum, ei subesse suum opus, vt nihil se ipsum mutare, aut aliud quid esse aut fieri queat, et quidlibet suis sit limitibus constrictum.

5. Haec dum agnoscimus, ducere nos possunt ac debent eo, vt admiremur et laudemus Deum, vt redamemus, vt pendere*) nos ab eo intelligamus et experiamur, et, qualis mundus conditus est, tali eo adquiescamus, quo consilio nobis mundus conditus est, hoc consilio in eo versemur, fruentes, cognoscentes, agentes, nec vllam

mundi partem sine Deo, auctore et domino sui operis, cogitemus. Ita doctrina de creatione fit doctrina ad religionem pertinens.

*) Cf. p. 2. §. 4.

6. Scire vero, quo consilio Deus nobis hominibus condiderit mundum, nondum est, scire, quo in vniuersum consilio, vltra quod intelligi nullum aliud possit, eum creauerit. Multa sine dubio Deus condendo mundo spectauit, quae nos ignoramus. Nos ergo, quibus sermo est de exercenda religione, et mundo sapienter vtendo, subsistimus in his, quae scimus. Haec ducunt nos ad officia.

Vid. locus de prouidentia §. 7.

PARTIS PRIMAE
CAPVT QVARTVM
De Prouidentia.

1.

Prouidentia Dei vno nomine comprehendit conſeruationem et gubernationem vniuerſi.

In ſcholis prouidentia dicitur opus Dei ad extra.

2. Experientia docente conſeruantur omnes res, h. e. pergunt eſſe ipſae, pergunt habere fabricam, vires, adminicula, ad permanendum, agendum, et ſuum quaeque genus propagandum, pergunt eſſe nexae invicem*).

*) Alii conſeruationem ponunt in eo, quod ipſae ſubſtantiae pergunt eſſe. Concurſum vero nominant, quod vires ſubſtantiarum durant.

3. Quod ita fieri experientia magiſtra cognoſcimus, id SSa in vniuerſum[1]) et ſimpliciter[2]) Deo adſcribit, volenti aut nolenti[3]), vt eſſe pergant, et ſuppeditanti aut ſubtrahenti, per quae eſſe porro poſſint[4]). Ergo SSa vult hac doctrina efficere: vt nos iis, quae experientia docente fieri quotidie videmus, cogitando ſemper adiungamus Deum[5]) ſcientem, volentem, agentem[6]).

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0106
DFG

1) Non excluſa cohaerentia rerum mutua, et adminiculo mutuo, prima nominatur cauſa, et continuus euergeta, Deus, Matth. 5, 45. Act. 14, 17. Pſ. 147. paſſim, et alibi ſaepiſſime.

2) Non definito eo, quid agant cauſae, in ipſa rerum natura obuiae, et quid agat Deus, nominatur prima cauſa, et continuus euergeta, Deus. Hoſ. 2, 23. Act. 17, 26.

3) Matth. 10, 29. Pſ. 104, 28 ſqq. Ieſ. 40, 7.

Nominatim de vita hominum et morte docetur, *cum ſciuiſſe* Deum ab aeterno, quam diu quis acturus eſſet vitam, Pſ. 139, 16. *tum limitare* vitae tempus ſic, vt nemo tam diu viuat, quam diu vivere velit, ſed in ea re, praeter modum varia et difficili iudicatu, pendeat a Deo, non excluſis cauſis naturalibus. Ioh. 14, 1—6. Matth. 6, 27. Act. 17. 25. ὁρίσας προστ. καιρούς. Et hoc ita docetur, ne nos auſimus definire fines, aut diiudicare hanc rem, Phil. 1, 21 ſqq. et vt in re plane incerta ſimus cauti. 1 Theſſ. 5, 19. 2 Cor. 5, 9.

Nec tam haerendum eſt in mortibus ſingulorum: quam cogitanda aequabilis illa ratio, per vniuerſi generis humani mortes fuſa, vt nec deſint homines alterius ſexus, nec redundent, et ſumma incolarum reſpondeat terris cultis. Haec vrgent hominem non leuem, vt talia tam ſapienter ſine Deo fieri poſſe neget, et Deum in his tamquam manu prehendet. cf. §. 6. not. 7.

In ſingulorum autem mortibus, repentinis praeſertim, violentis, praematuris, nemo paulo modeſtior ſperauerit, ſe liquido declaraturum, quid volenti, dirigenti, permittenti Deo, quid viciſſim hominis errori, valetudini, ſceleri, tribuendum ſit: aut quas veluti regulas Deus ſequatur.

Pſ. 90. agit de Iſraelitis, Moſi aequalibus: verſu tamen tertio omnino oſtenditur, finem vitae pendere a Deo.

4) Genes. 8, 22. Matth. 6, 26. Ps. 145, 15. 16. Ier. 14, 22.
5) ἀδὲν ἄνευ τῦ Θεῦ. Matth. 10, 29. Ies. 54, 16.
6) Io. 5, 17. ἐργαζόμενος.

4. Non possunt homines non laeti et grati animaduertere, sibi parata esse et permanendi et agendi adminicula inprimis multa[1]). Et indicat Christus huius beneficii diuini praecipui causas[2]). Ergo fas est, non trepidare homines circa male sedulas sui conseruandi curas, nec per eas obfuscare respectum ad Deum, et grauiora grauiorum rerum studia[3]).

1) Ps. 8, 7. Scholae nominant partem specialis (ad humanum genus pertinentis) prouidentiae. Diuidunt scilicet prouidentiam in generalem, specialem, specialissimam.
2) Matth. 6, 25 sqq.
3) Luc. 8, 14. αἱ μέριμναι τῦ βίυ συμπνίγουσι τὸν λόγον.

5. Docemur porro in SSa talia, e quibus sequitur, Deum gubernare mundum, h. e. Deum continuis actionibus rerum mundanarum mutuis[1]), et cohaerentiae earum mutuae[2]) praeesse[3]) et adesse[4]), et ea ipsa re, quod praeest et adest, efficere, vt illae actiones illaque cohaerentia aut conferant ad consilium Dei, quo mundum creauit, aut hoc consilium non irritum reddant[5]).

1) Fortwährende wechselseitige Thätigkeiten und Wirkungen der Geschöpfe in einander.

2) Ihre daraus fliefsenden Zustände und Verhältnisse gegen einander, und ihr gemeinschaftliches Wirken.

3) vt adeo pendeant a Deo, geranturque ex eius voluntate. Ephes. 4, 6. Ies. 66, 1.

4) vt non sine Deo fiant et agant, vt Deus quoque operetur, id agat, vt fiant ex eius voluntate. Io. 5, 17. ἐργάζεται.

5) His partibus constat notio gubernationis in vlla re, quam nos homines dicimus gubernari. Remotis a Deo, quae gubernantibus hominibus, qui limitibus circumcluduntur, propria sunt, relinquitur in Deo ἐνέργεια intellectus et voluntatis: (fortwährende Thätigkeit des göttlichen Verstandes und Willens bey der steten Wirksamkeit und Verbindung der Geschöpfe, zur Behauptung der göttlichen Absicht.)

Populariter gubernatio mundi dici potest opus Dei, efficientis, vt in mundo ipse suum semper assequatur consilium, seu, vt mundus consilio ipsius semper accommodetur.

6. Tales vero SSae doctrinae, e quibus sequitur, mundum a Deo gubernari, sunt hae:

Omnes actiones hominum[1]) et aliarum rerum mundanarum[2]), omnes hominum mundanarumque rerum vicissitudines, successiones et status[3]), fiunt, et variantur, et succedunt, et sunt, praescientе[4]) et conscio Deo[5]).

Omnia haec, cum fiunt, variantur, succedunt, sunt, tum a Deo adiuuantur[6]),

aut limitantur[7]) serie, tempore, modo. (Maſs und Ziel.)

Eſt in his omnibus consilium Dei[8]).

Adiuuando et limitando efficit Deus, vt fiat ipſius consilium[9]).

Haec omnia vero dicuntur ſimpliciter et in vniuerſum ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ[10]).

1) Incepta et conata, ſenſa et cogitata.
2) Effectiones ſolis, ſiderum, telluris, maris, animantium.
3) Aetates generis humani, ſubolis propagatio, res externae, quas homines poſſident, aut quae iis eueniunt, ciuitates, ciuitatum conuerſiones per pacta, bella, migrationes gentium, inſtituta humana, tempeſtates anni cum annexis, telluris euenta.
4) Nam, praeterquam quod hoc diſerte dicitur (Pſ. 139, 16. Act. 15, 18.), ſequitur etiam ex his, quoniam
   a) inſtituit Deus. Act. 17, 26. ἐποίησε. cf. Narratio Moſis de creatione.
   b) deſtinauit mundanas res his vſibus, quos nunc habent. Gen. 1, 14 — 19.
   c) praedixit, ita fore. Gen. 8, 22. Cf. omnia de viciſſitudinibus humanarum rerum vaticinia: et ſanctiones Iudaicae legis. Leuit. 26. et Deuter. 28.
5) Hoc intelligitur ex omniſcientia et omnipraeſentia Dei.
6) Pſ. 127. et omnes loci de auxilio Dei promiſſo et exhibito, de precibus et fiducia in Deo ponenda, de adiumentis boni moralis.
7) Act. 17, 26. (*certa temporum et locorum ſpatia*). Iac. 4, 13. Pſ. 46, 10. Iob. 5, 12 ſqq. Prou. 21, 1. Ieſ.

Ieſ. 8, 9. et 54, 16. Pſ. 2, 1. 4. Dan. 2, 21. et 4, 13. 22. (cf. ſupra §. 3. not. 3. et quae de aequabilitate naſcendi moriendique, per humanum genus conſtanter fuſa, ſcripſit Süſsmilch von der Ordnung Gottes in den Veränderungen des menſchlichen Geſchlechtes. Ed. 4. Berol. 1775.)

8) 1 Io. 5, 14. *Si petita noſtra congruant cum conſilio Dei* (Plan, Entwurf), *fiet, quod optamus.* Matth. 6, 10. *Fac tu, quod tu vis, in vniuerſo mundo.* Epheſ. 1, 11. Matth. 11, 26. 1 Cor. 1, 21. Iac. 1, 18. *Hoc erat in conſiliis Dei — — vt nos eſſemus primi chriſtiani.* cf. Rom. 9, 16. vbi hoc tractatur, non quaeri, quid et quantum nos nitamur ac perficere velimus; ſed quaeri, *an conſilio Dei congruat*, nos hoc habere, aſſequi, perficere. Adde locos, qui nominant ὁδὸς et κρίματα Θεῦ cum adiunctione σοφίας.

9) h. e. aut per id, quod fit, directe et effectiue confertur (συνεργεῖται) ad conſilium Dei: aut per id, quod fit, non irritum fieri poteſt conſilium Dei. Illud volenti et iuuanti, hoc permittenti et limitanti Deo adſcribimus. Haec omnia comprehendit SSa, vbi dicit, fieri res τῇ βελῇ, aut τῇ ὡρισμένῃ βελῇ τοῦ Θεοῦ. Act. 2, 23.

10) Non excluſis cauſis naturalibus, certis, intermediis, nec definitis limitibus, intra quos hae cauſae ſubſiſtant, aut vbi Deus incipiat, nominatur Deus, qui his praeeſt et adeſt, primus et vltimus cogitandus, et tandem ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσι. 1 Cor. 12, 6.

7. Iam ſi de illo ipſo, eoque latiſſime patenti[1]) conſilio Dei quaeratur: concludimus ſane ex his, quae experiundo cognoſcimus, id ſpectare et agere et perficere Deum, vt mundo *vniuerſo*, humanoque nominatim generi *vniuerſo*, ſua conſtet *incolu-*

mitas, et vt *singula*, quae sunt, *habeant* in suo genere aliquod *commodum*, quantumuis multa contra niti videantur[2]). Sed tamen sic quoque amplius quaeritur: Quodnam est in mente Dei consilium summum et vltimum, quo ista omnia fiunt, et quorsum conspirant? Hoc homo vix ausit exputare, qui nec omnem illum ambitum complecti, nec ad singula descendere, nec futura prospicere potest. Ergo modeste consistimus intra ea, quae aut assequimur conclusione verisimili, (de qua paulo ante), aut in sacris literis nostra hominum causa, et huius terrenae nostrae commorationis causa, edocemur[3]), velle Deum, vt, quoniam crearat, qui extra ipsum essent, ratione praeditos, iis etiam tam diu hac nominatim via *innotesceret Dominus et Rector*[4]), donec olim alia via posset vberius edocere consilium suum, quo sic potissimum, per immensum hunc mundi apparatum, iis innotescere voluisset, et quo totus hic apparatus, vt ad scopum, referretur.

1) ad vniuersum, totum et partes simul, pertinenti.

2) v. c. quae dicuntur mala physica, aut vere sunt moralia mala, v. Griesbachs populäre Dogmatik §. 80 sqq. Zollikofers Betrachtungen über das Uebel in der Welt.

3) vid. tentamen aliquod rei huius in libro I. F. Iaco-

bi, Betrachtungen über die weisen Absichten Gottes. P. 1. Hannover. 1765.

4) Um sich erschaffnen Geistern zu offenbaren: id quod etiam ducit ad δοξασμὸν τῦ Θεῦ.

8. Habebimus autem sic quoque, quare Deum admiremur, submisse veneremur, collaudemus: quare eum cum fiducia respiciamus, et in auxilium vocemus, praesertim promittentem auxilium, probe tamen memores, proprie tantum probis et cum conditione probitatis bona a Deo promitti: quare porro, nihil inutile aut noxium ab eo tribui[1]), firmiter nobis persuadeamus: mundum gubernari cum respectu ad virtutem et vitiositatem (moralitatem) perpetuo obseruemus: copulatum cum vniuerso providentiae opere opus exhibendae religionis, in SSa exstantis, in vsus nostros conuertamus: duplicem prouidentiae scholam, historiam[2]) et experientiam[3]), nostrae nominatim singulorum vitae, lubenter adeamus: consummatam ex omni parte, et omnibus incommodis vacuam felicitatem possidere non nitamur, assidue cogitantes, vnum alteri inseruire, partem toti cedere: Deum gubernatorem imitemur: nostram instrumentorum et ministrorum Dei dignitatem persentiscamus: nihil nos iactemus, sed pendere a Deo velimus, eique nos subesse

laetemur[4]): licentiam sentiendi et viuendi[5]), quae nostram hanc aetatem foediſſime deturpauit, exsecremur: nullum nobis iudicium de rebus prouidentiae subditis arrogemus, aut, si quid tentemus, (veluti, cur coeperit pergatque esse malum morale), modesti simus, coniecturarum nostrarum memores, temere vero et praefracte decernere aliquid contremiscamus: nihil enim exacte constituere possumus.

1) Matth. 7, 9. Iac. 1, 17.
2) Schroeckh de historia, prouidentiam loquente. Viteberg. 1776.
3) cf. §. 7. init.
4) v. Pr. de hom. subm. se Deo, in diss. Vol. II. p. 123 sq.
5) Ps. 14 et 94.

9. Per haec principia, per hos sensus, per haec officia conformato animo, opiniones, mundanarum rerum seriem e casu aut necessitate nectentes, contrarias sacrorum librorum doctrinae, reformidabimus: praesertim cum perdifficile sit, spinas dubitationum, quae implicitis radicibus in animo facile haerere solent, euellere penitus, ne germina tranquillitatis et *aureae modestiae*, iuvante Deo in animis nostris prognata, rursus suffocent.

Locos, etiam Filio Dei et Sancto Spiritui tribuentes prouidentiam, vid. P. 1. cap. 2. §. 6. et 10.

PARS SECVNDA

De Angelis.

I.

Libri sacri faciunt saepe mentionem angelorum, bonorum et malorum. Quos cum aut appellent diserte spiritus[1]), aut describant[2]) vt intelligentes, volentes, bene et male agentes[3]), mandatorum diuinorum sibi conscios, aut consiliis Dei aduersantes: pertinent angeli ad classem spirituum, aut intelligentium naturarum.

1) Ebr. 1, 14. de bonis angelis.
2) Bonos aeque ac malos.
3) 1 Petr. 1, 12. Luc. 15, 10. Marc. 13, 23. Contra de malis angelis 2 Petr. 2, 4. *peccarunt, ideoque miseri sunt.* Iac. 2, 19.

Qui ergo negant, esse tales spiritus bonos malosque, hi manifeste contraria SSae dicunt. Act. 23, 8.

Prolixe locum de angelis tractauit Iacobus Ode in commentario de angelis. Traiect. 1739.

2. Bonos angelos SSa sistit vbique ministros Dei[1]), eosque praecipuae dignitatis[2]), quibus Deus iniunxit negotia certa[3]), qualia fortasse non iniungit aliis ministris suis. Quae negotia dum administrant, ipsi exercentur virtute et officio, Deus autem proprie consilia sua exsequitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0115
DFG

1) מלאכים. Ebr. 1, 14. Hoc nomen proprie est muneris, non naturae.

2) *Apparens Deo*, Luc. 1, 19. est primariae dignitatis minister. Nec aliud esse videtur βλέπων τὸ πρόσ. τῶ Θεῶ, Matth. 18, 10. quippe proximus regi.

3) Ea esse possunt multa multis in partibus vniuersi, quae nos ne suspicamur quidem. Pleraque exempla, nobis e SSa nota, indicant, Deum per eos hominibus *tutamen praestare*, aut *eripere periculo* homines (Act. 12, 6 sqq.), aut homines alicuius rei grauioris *notitia* memorabili modo *imbui velle* (Luc. 1, 11 sqq. ib. 26 sqq. Act. 5, 19). Hinc interpretandi sunt loci breuiores, Ebr. 1, 14. Matth. 18, 10. Ps. 91, 11. coll. Matth. 4, 6. (Hinc explicem Io. 1, 52. de vita, in qua sunt vbiuis expressa documenta manifestae prouidentiae diuinae.) Sed et nominatim docemur, fore tum eorum occupationem, cum incipiet fieri sempiterna bonorum beatorumque a malis miserisque separatio, nec vllum amplius illorum cum his consortium locum habebit, quamquam in his terris mixti vixerant. Matth. 13, 41.

3. Vix autem serio aliquis neget, liberum esse creatori, aliis ab se creatorum alias occupationes certas, et propria officia atque negotia destinare, praeter officia, omnibus intelligentia praeditis communia. Praeterea vt nemo regibus indignum censet, per eos administros a Deo gubernari ciuitates, et ita eos habere materiam officii exercendi; aut indignum Deo indicat, eum his vti administris: ita quis Deo vel angelis indignum iudicet, hos Deo mundum gubernanti mi-

nisterium praestare, exercerique sic certis officiis?

4. Cum ergo Deus per angelos monuisse interdum homines, et per eosdem tutaminis aliquid hominibus praestare dicatur (§. 2. not. 3): sequitur, de tutamine nominatim, diuinam prouidentiam non semper cognito nobis et adspectabili modo opitulari; sed, multas persequentem vias, vel praestantissimas naturas (entia) destinare nostris commodis posse et solere, ideoque nos illa multiplici ἐνεργείᾳ prouidentiae fretos, sine curis vitam agere debere[1]). Hoc sufficit ad officium, et est melius, hoc inde concludere, quam describere modum, quo angeli adsint[2]), definire tempus, quando adsint, ab vno tempore concludere ad omnia[3]), indigna angelis comminisci[4]), Iudaeorum in ea re sedulitatem imitari[5]), aut adeo, quoad diuinos monitus nominatim, e visis[6]), et Cheruborum atque Seraphorum descriptionibus vel hieroglyphis[7]), dogmata eruere, aut dicta de grauioribus rebus[8]) leuiter transferre ad res vllas quaslibet.

1) Similiter possumus mori sine curis de futura nostra commoratione: nam prouidentia Dei nos, expertes corporum, tutos et incolumes in beatas sedes transferet. Luc. 16, 22.

2) Haec quaestio peperit aliam: vtrum instruantur angeli corporibus παραστατικοῖς, an instructi sint ὀργάνοις sibi perpetuis, per quae agant in mundum corporeum. Posterius locum habere potest, (vid. Moshem. ad Cudworthi syst. intell. p. 1084 sqq. Ode l. l. p. 314 sqq.) prius videtur e visis conclusum esse.

3) Act. 5, 19. et 12, 7.

4) Tamquam sint quidam additi hominibus pedisequi diurni nocturnique.

5) vid. Buxtorf. Lex. Talmud. in ind. *angelorum nomina*. Buddei inst. theol. dogm. p. 529 sqq.

6) Dan. 7, 10. et 10, 13. Sachari. 3, 7. 1 Regg. 22, 19. Act 10, 3.

7) Hae descriptiones aut haec hieroglypha exprimunt varias res, *ex parte* pertinentes, vt videtur, ad angelos. (Ies. 6. Apoc. 4, 6), exprimenda re non adspectabili (v. c. laude Dei, veneratione, ministerio illi praestando) per effigiem adspectabilem; *sed non ubique* (Ps. 18, 11. Ezech. 1, 10. Genes. 3, 24). Cf. Spencerus de legg. Hebr. ritt. 3, 5, 3. Simonis Lex. Hebr. in כרוב. Cotta ad Gerhardi Locos T. 6. p. 38.

8) Luc. 1, 11. 26.

5. Si angeli Deo aeque subsunt, aeque officia debent, ac nos*): erratur ab his, qui in precibus faciendis etiam angelos compellant, vt iis se vllo modo commendent.

*) Apoc. 19, 10. Ebr. 1, 6. 13. 14. Et patet ex omni eorum per vniuersam SS. descriptione, eos subesse Deo, vt ab eo conditos.

6. Bonos angelos hominibus longe praestantiores esse[1]), discitur inde, quod proximi Deo ministri nominantur[2]): quod

in caelo versari (h. e. consociata cum Deo felicitate eximia frui) dicuntur: quod appellantur constanter sancti, ideoque Deo cari[3]): quod, quidquid praestans est, cum iis confertur: quod denique excelsa Christi dignitas ea re illustratur, quia omnes angelos, rerum creatarum nobis quidem cognitarum nobilissimos, longe antecellit[4]).

1) 2 Petr. 2, 11.
2) Matth. 18, 10. cf. §. 2. not. 2.
3) 1 Tim. 5, 21.
4) Ebr. 1. tot.

Non quouis in loco SSae verbum מלאך aut ἄγγελος significat hos spiritus, de quibus huc vsque dictum est. Nam et *naturae effectiones*, exserentes vim repentinam, magnam, inusitatam, nomen nuntiorum et ministrorum Dei sortiuntur: etsi proprie sunt bona aut mala, per naturae effectiones immissa hominibus (Ps. 78, 49 et 35, 5. 6): et vocabulum, significans *cladem et perniciem* (Exod. 12, 23), veteres intellexerunt de auctore cladis (Ebr. 11, 28). [Et sic fortasse 2 Reg. 19, 35. Iesa. 37, 36. et Act. 12, 23. explicari potest.]

In tanta angelorum copia (Matth. 26, 53. Ebr. 12, 22) alios ab aliis diuersos, aliisque digniores ac superiores esse, per se non magis incredibile est, quam in humano genere: et sit perspicuum e nomine archangeli, haud dubie significante eminentiorem aliis dignitate, 1 Thess. 4, 16. Iud. v. 9. aut e verbis Ephes. 3, 10. *caelitum celsissimi*: quae quidem descriptio in angelos optime cadit. Ceteri loci, qui huc referri solent (1 Petr. 3, 22. Col. 1, 16. et 2, 15. Ephes. 1, 21. Rom. 8, 38), non euidenter de angelis agunt: aut, si quis de iis intelligat, tamen non continent talem eorum in ordines

certos descriptionem, qualem hierarchiae ecclesiasticae fautores inde efformarunt (cf. Petau. dogmata. T. 3. p. 56. et Ode de angelis. p. 714 sqq. e Dionysio), depingentes aliquam in caelis ciuitatem angelicam, quales in terris sunt humanae ciuitates. De Iudaeorum studiis in his ordinibus describendis v. Ode ibid. p. 709. §. 8.

7. De malis angelis haec leguntur diserte: eos peccasse, ideoque miseros esse[1]), et semper fore[2]): esse plures[3]), eosque cum vitiositate[4]), tum orta inde miseria[5]), similes vnius, qui nominatim appellatur diabolus et Satanas[6]).

1) 2 Petr. 2, 4. Iud. v. 6.
2) Matth. 25, 4.
3) ib. οἱ ἄγγελοι τῦ διαβόλυ.
4) 2 Petr. 2, 4. οἱ ἄγγελοι ἁμαρτήσαντες.
5) πῦρ κατηρτισμένον αὐτοῖς, ὃν ἔθετο αὐτῶν ὁ Θεός.
6) Matth. l. c. Apoc. 12, 9.

8. Diserte etiam mentio diaboli coniungitur cum mentione mali moralis, quod inter homines est. In quo spectari debet, quid inde perpetuo concludatur officii nostri causa: sic enim adparet, ea omnia ideo tradi, vt sint argumenta sectandae pietatis fugiendique vitii. Plura qui quaerit, is frustra quaerit, et vel ait, vel negat cupide.

9. Dicuntur ergo homines praui similes diaboli*). Id vero suppeditat argumentum vitandi peccati, vt foedae rei, tollentis vtique similitudinem cum Deo: habet

enim SSa nullum foedius peccati ac disſimilitudinis cum Deo exemplum, quam diabolum.

*) 1 Io. 3, 7—11. τέκνον τῦ διαβόλε, *animo et ſenſu ſimilis diaboli.* ἔργον τῦ διαβόλε, *factum, quale patrat ille*, malefactum: nam ille ἁμαρτάνει, ideoque quisquis ἁμαρτάνει, facit tale quid, quale diabolus facit. Io. 8, 44. Epheſ. 2, 2. κατὰ τὸν διάβολον, *ad ſimilitudinem eius.*

10. Quidquid porro eſt mali moralis, et cauſarum eius, et detrimentorum, et hominum prauorum, ſiue vno verbo τὸ σκότος et ὁ κόσμος, id omne appellatur regnum diaboli, ac diabolus eius regni princeps[1]). Agnoſcitur hoc regnum vbiuis hac nota, abhorrere a conſiliis Dei et voluntate et inſtitutis, et eſſe his plane contrarium, opponere his impedimentum[2]). Vnde in hoc regno eſſe, indicat, annumerandum iis eſſe, qui renituntur Deo, deditum eſſe rebus Deo contrariis: et huius regni princeps qui dicitur, is deſcribitur vt primus inter eos, qui Deo renituntur, maxime abhorrens a Dei conſiliis et inſtitutis, longe peſſimus. Ita fit hoc argumentum vitandi peccati, vt rei, Deo plane contrariae.

1) Col. 1, 13. Act. 26, 18. Io. 12, 31. et 14, 30. et 16, 11. 2 Cor. 4, 4. [Quidquid contra eſt bonorum hominum, boni moralis, cauſarum et effectuum eius, id omne regnum Dei et Chriſti dicitur,

Col. et Act. l. c. Apoc. 12, 9 — 12, post grauem lapsum Satanae, Dei et Christi regnum obtinuit. Ponantur ergo opposita iuxta se, vt alterum ex altero clarius eluceſcat. Oſtendatur, quibus rebus conſtet regnum Dei et Chriſti: ita concludi poterit, quibus rebus cenſeatur regnum diaboli.]

2) Ἐχθρὸν τῷ Θεῷ καὶ Χριστῷ. Matth. 13, 39. Io. 15, 18. 19. Col. 1, 21. Iac. 4, 4. Cf. omnes locos de aduerſariis Chriſti, qui ei ſubiiciuntur. P. 4. C. 2. S. 3. §. 6.

11. Dicitur rurſus Satanas inimico adverſus homines ſenſu eſſe*), et cupere, vt peccent miſerique reddantur, adeoque ipſius vtroque modo ſimiles ſint. Id eſt argumentum, quo deterreantur homines a ſimilitudine cum illo, qui tali erga eos odio eſt.

*) Io. 8, 44. ἀνθρωποκτόνος, *qui hominum perniciem quaerit.* Luc. 22, 31. 2 Cor. 2, 11. νοήματα, *conſilia prauа, prauae machinationes,* מזמות, מזמות.

12. Denique dicitur tum, cum omnia ſcelerum plena ſunt, et inter eos, qui ſcelera ſequuntur, occupatus eſſe[1]), conferre ad malum morale[2]), et impedire bonum morale[3]). Sed nuſpiam excluduntur cauſae aliae, eaeque notiſſimae et vſitatae[4]): nec vſpiam dicitur, quomodo Satanas id agat, quod ei adſcribitur[5]). Vnum illud inde concluditur, tanto plus cauendum eſſe a malo, et contra nitendum[6]), cum ad omnes eius cauſas etiam Satanas accedat.

1) Ephes. 2, 2. Omnia sunt adeo plena scelerum, vt non videatur eorum effrena vis hominibus solis tribuenda, sed altiori cuidam, ea accumulanti. Io. 12, 2. Iudae perfidia non videtur a tali discipulo Christi, quamquam auaro, exspectari posse, sed ad instigantem vim altiorem referenda. Act. 5, 3.

2) 1 Cor. 7, 5. ad ἀκρασίαν hominum confert tentando. [Ergo discernitur Satanas ab hac ἀκρασίᾳ, vt alibi a malis hominibus, et occasionibus peccandi externis internisque: 2 Cor. 11, 14. 15. Act. 5, 3. 4. ideoque dici nequit, τὸν διάβολον vbiuis indicare notionem abstractam, malum morale: etsi interdum verbum sic accipi potest. Rom. 16, 20. Iac. 4, 7.]

3) Luc. 8, 12. Quidquid impedit religionis christianae scientiam, exercitium, progressum, id refertur ad Satanam. 1 Petr. 5, 8. 1 Thess. 2, 18.

4) Ignorantia, negligentia, cupiditates. vid. locos indicatos.

5) Ergo definiri nequit, quid et quantum Satanas conferat vel impediat, quousque homines ipsi, et causae, quae in iis vel extra eos sunt, progrediantur, vbi ille incipiat aut desinat. Hinc, qui modum ostendere voluerunt, operam perdiderunt, et occasionem contra disputandi aliis praebuerunt.

6) Et huic officio satisfieri potest, etsi non explicatur, quale sit, quod Satanae tribuitur. Nec est alius modus resistendi diabolo, quam qui est resistendi vitiis, sceleribus, hominibus prauis, per preces, doctrinam christianam, attentionem. Atque adeo *interdum* resistere diabolo videtur simpliciter significare, resistere malo. Iac. 4, 7. Rom. 16, 20.

13. Non negabimus igitur, ea in SSa exstare, quae diserte ibi leguntur: in multa rei obscuritate operam dabimus officiis,

quorum mentio cum mentione eorum, quae de Satana dicuntur, coniungitur: in magna rei difficultate neque hypotheſes de modo*), quo illa fiant, excogitabimus, neque, propter obſcuritatem et difficultatem, interpretando vim faciemus locis diſertis.

*) Vid. Buddei theol. dogmat. p. 832.

14. Si definitione angelorum opus ſit, dici poterunt ſpiritus, Deo inferiores, hominibus ſuperiores.

PARS TERTIA

De genere humano.

CAPVT PRIMVM

De origine generis humani, et hominum primorum felici conditione, sed postilaec immutata.

I.

Deo volente et efficiente vnus mas et vna femina certo tempore esse coeperunt. Idem ille Deus hoc ipsum initium reliqui vniuersi generis humani, e primis illis per procreationis successionem oriundi, esse voluit[1]). Idem ille Deus primos illos homines haud dubie felices creauit, et, quoscumque nasci iubet, eos etiamnum felices nasci vult[2]).

1) Act. 17, 16. De Peirerio, Praeadamitarum defensore, vid. Buddei H. E. Vet. test. p. 81. Ei. theol. dogm. p. 500. Ei. Misc. Sacra. P. 3. p. 60. Boerneri theol. symbol. p. 176. Grapii theol. recens controuersa. T. 2. p. 100.

2) Extat Verneti disputatio de natiua hominis constitutione; in Eius opusculis selectis. p. 74.

2. Nam animum iis tribuit eximiae facultatis: concedit iis corpus animatum, cuius beneficio frui mundo, percipere res extra se positas, rerumque notiones collige-

re possunt: huius animi et corporis institutione praestat, vt loqui possint: prospicit corpori per fabricam plane singularem et alimenta copiosa: exhibet animo facultatis exercendae largam materiam.

3. Tales homines primos fuisse cum Moses narret, tales omnes nos esse cum experientia loquatur: vndiquaque discimus, humanum genus a Deo conditore felicitati destinatum atque creatum esse. Quare huc nos paremus, vt, homines nos esse, et sentiamus, et nobis gratulemur, nosque omnes multis modis pares esse agnoscamus.

4. De primis autem hominibus nominatim Moses narrat, eos in regione [1]) abundantissima collocatos esse, consociatos vixisse, occupatione quadam sua vsos esse [2]), liberum rerum omnium circumiectarum vsum habuisse [3]). In quibus omnibus, praeter gaudium et fructum, haud parca fuit excolendi animi materia.

1) Non hortum, sed spatiosam regionem fuisse, docet partim descriptio (Gen. 2, 10 sq.), partim versio παράδεισος. Scriptores praecipui de paradiso sunt: Bochartus in geogr. sacr. Relandus de situ paradisi (in disc. misc. p. 1.): alios alii indicarunt, et Cotta ad Gerhardi Locos. T. 4. p. 274.
2) Gen. 2, 15.
3) Gen. 1, 29.

5. Idem

5. Idem Moſes narrat, eos a Deo varie monitos, ſiue Deo procurante huc deductos eſſe, vt intelligerent, ſibi quidem tot illas res paratas eſſe; ſed occupari ſe in iis debere[1]): ſe coniunctos quidem eſſe; ſed mutuo etiam viuere, non fruendi tantum, ſed et opitulandi cauſa debere[2]). Per haec rurſus excultus eſt animus, cum ad intelligentiam, tum ad officium.

1) Gen. 2, 15.
2) ibid. v. 18. 22.

6. Praeterea narrat, monitos eos eſſe, vt planta quadam iis nocitura abstinerent[1]). Hinc diſcebant, eſſe rerum discrimina, eſſe aliquid non faciendum: ſic intelligi, an eſſet aliquis prudens, velletque monitus monitorem audire. Vnde illi plantae nomen עץ דעת טוב ורע inditum[2]).

1) Gen. 2, 17.
2) Cf. Vitringae Obſeru. ſacr. l. 4. c. 12. Cotta ad Gerhard. Loc. T. 4. p. 276.

7. Intelligere denique ex his omnibus debuerunt ac potuerunt, per quem ſint, tales ſint, haec habeant, hunc iis beneficentiſſimum eſſe, hunc ab iis reſpici debere, quid et quare dederit, ita vero ſe felicitate potituros, ſi ſic ad eum reſpexerint.

8. Ita dum haec cognouerunt, adepti ſunt et Dei et venerationis diuinae notio-

nem, seu religionis notitiam. Et cum Moses tradat*), eos memores officii vixisse, aut virtuti operam dedisse: tradit, exercuisse eos religionem.

*) Gen. 3, 2. 3. Cf. Programma primum de notitia religionis, in dissertt. Vol. II. p. 1 sqq.

9. Adparet et hoc e Mosaica narratione, voluisse Deum primis hominibus hoc beneficium exhibere, vt eorum vita talis, qualis ab initio erat, perpetuo continuaretur, nec corpora eorum, debilitata sensim, motuque tandem atque vi viuendi orbata, ab animis penitus dissociarentur, atque etiam in hos vsus plantam iis adsignasse*), quae robur et vigorem adderet corpori.

*) Gen. 3, 22.

Videtur ergo Deus, post diuturnam eorum in his terris commorationem, tandem eos in aliam, multo beatiorem, ita translaturus fuisse, vt corpora immutaret, et exemto eo, quod terreum ac dissolubile est (ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός. 1 Cor. 15, 47). paria redderet sempiternitati.

Quam ergo corporis immortalitatem illis hominibus tribuimus, ea non fuit absoluta (h. e. non fuit per naturam corporis aliam plane, quam quae nunc est, necessaria); sed hypothetica (h. e. per voluntatem et beneficium Dei euentura erat sub conditione). v. Gerhard. Loc. T. 8. p. 25. Scherzeri Colleg. Antisocin. p. 278.

10. Sed haec primorum hominum felicitas, vt Moses narrat*), in hunc modum

immutata est. Scilicet causa fuit externa[2]), quae eos gradatim ad dubitationem et errorem de officio abstinendi illa planta deduxit: huic errori oppoſuerunt ab initio intelligentiam et rationem, eumque non ſtatim, ſed tandem tamen admiſerunt, vbi acceſſit ſenſibus commota cupiditas acrior et praevalens: haec enim vicit rectum de officio iudicium, erroremque obortum confirmavit, et vicit rectum propoſitum: ita ſecuti errorem loco veri, et cupiditatem praeponderantem loco iudicii recti, et propoſiti recti, egerunt, quod antea non egerant, nec agere debuerant. Sic coeperunt peccare.

1) Gen. 3, 1 — 7. Eſt vero haec narratio didactica, h. e. docet exemplo primorum hominum modum, quo ſolet peccatum oriri, et ortum eſt: et docet, id eueniſſe primis hominibus, quod in vno quouis homine quotidie fieri ſolet, in iis adeo, qui iam coeperunt eſſe boni. Id vnum proprium habet, quod illi homines, adulti iam, nondum peccarant.

2) Eam cauſam Moſes ſerpentem nominauit, adumbraturus fortaſſe metaphorico vocabulo tralaticio, externas errandi peccandique cauſas lente attentare, et per callidiores circuitus vim ſuam in animos inſinuare. Sed quae cauſa externa potiſſimum fuerit, vix certo dici poteſt. Diabolum fuiſſe, non diſerte dixit Paulus 2 Cor. 11, 3: nam ipſa Moſis verba ſine explicatione repetiit. Iudaeos diabolum intellexiſſe, diſcitur e Sap. Sal. 2, 24, et e nomine ὁρά-κοντος ἀρχαίου Apoc. 12, 9. E verbis Ieſu, Io. 8, 44. declarantis, diabolum antiquitus, ab omni inde tempore, ſenſu hominibus infeſto fuiſſe, id

vnum sequitur, Iesum *potuisse* simul ad Mosaicam de primis hominibus narrationem respicere; sed non disertis verbis, non ad vnam illam rem, non omnibus similibus exclusis, respexit. In vniuersum dicit, diabolum semper et vbique in odio adversus homines sui similem fuisse: vt 1 Io. 3, 8. diabolus semper et vbique peccasse et peccare, semper sui similis scelere patrando dicitur. Ceterum sententias varias de serpente collegerunt Pfaffius in compend. dogmat. p. 212. Buddeus in inst. th. dogm. p. 796. Ode in commentario de angelis. p. 498. Cf. Repertorii Eichhorniani Vol. 4. et 5. Urgeschichte von Gablern. Altorf. et Norib. 1790. Tres ergo, quantum video, sententiae sunt: 1) serpentem fuisse animal, edendo mulierem alliciens (v. Dath. ad locum Genes.): 2) serpentem fuisse diabolum, 3) נחש esse metaphoricum vocabulum, exprimens blandum allectamentum causae alicuius externae.

11. Desierunt ergo primi homines vel hanc ob causam et hactenus felices esse, quod errorem praeferre vero, acriorem cupiditatem recto iudicio, miserum homini est: praesertim cum facto semel initio non subsistatur, sed plura similiter male fiant. Inde oritur perpetuo necessarius renisus adversus externa irritamenta[1]), isque interdum parum felix[2]). Quam quidem duplicem miseriam comitatur male facti conscientia[3]).

1) Hic est ille contrarius mulieris nisus aduersus serpentem, serpentisque similes (prolem), siue aduersus omnis generis irritamenta externa. Gen. 3, 15.

2) Ictu laedit ille serpens hominem, vim vere noxiam exserunt causae externae. *ibid.*
3) Gen. 3, 7 sqq.

12. Cum animi hac miseria cohaerebant alia incommoda, quibus hactenus caruerant: quod, ob tempestatum crebriorum et continuarum pauores[1]), latius a regione fertili degressi, in loca minus culta venerunt, vbi experti sunt durioris laboris necessitatem[2]), victum viliorem[3]), tellurem-que ipsis negantem bona[4]), quae in nupera regione et facilis et abundans exposuerat.

1) Gen. 3, 24.
2) ib. v. 19.
3) ib. v. 18.
4) ib. v. 17.

13. Ita maritus nominatim experiundo cognouit, talem se iam esse post delicti tempus, qualem se fore audierat*), nominatim, palmariam occupationem suam, in quaerendo victu versantem, nec carere molestia, nec porro carituram esse, vt praedictum fuerat.

*) Gen. 3, 18. 19.

14. Vbi autem mulieri partus institit, rem sibi plane nouam doloris plenam experta sensit, se in ea re, cui proprie sit destinata, non carere molestia, nec carituram in posterum esse. Sensit item in vitae de-

cursu, pati se debere, vt mariti potissimum consilium rem familiarem gubernaret, ipsa vero alterum ab eo locum teneret*). Atque huic etiam praedictum fuerat, talem se fore, post delicti tempus.

*) Gen. 3, 16.

15. Ergo cum ambo deprehenderent obvias in natura res, non nunc demum in naturam importatas, easque vario respectu bonas, et multifariis consiliis destinatas, ipsis tamen incommodas; et cum communium (§. 12) atque propriorum (§. 13. 14) incommodorum initium a delicti tempore factum, delictique tempus veluti epocham molestioris vitae cernerent: potuerunt ac debuerunt ea incommoda conuertere in disciplinam poenitendi, cauendi, et statuendi, vitam, quae non constanter viuatur recte, nec constanter procedere posse commode, nec ab homine, non ex omni parte bono, exsulare omnia incommoda debere.

Cf. programma ad §. 8. supra indicatum §. 84.

16. Tandem corpora sensim debilitata sunt, laboris molestia maiore, defectu plantae in primis roborantis, vi noxia eius fructus, quem ἀτάκτως sumserant, ipsa vi cupiditatum acriorum. Sic iis denique, et ob delictum, et aliis περισάσεσι conferentibus,

subtractum est beneficium perpetuae in corpore vitae (§. 9), et orta necessitas corporis deponendi, ac per foedam mutationem transducendi ad ἀφθαρσίαν.

17. Vbi Moses de recentibus illis primis hominibus loquitur, ibi inter alia eos Dei similes dixit*): ipsam similitudinem plene perfecteque non descripsit.

*) Gen. 1, 26.

18. Sumere tamen licet, his, qui Dei similes dicantur, in vniuersum *insignem dignitatem ac praestantiam**) adscribi, qua ceteras res creatas adspectabiles antecedant.

*) Hoc amplissimo sensu intellexerim Iac. 3, 9.

19. Annumerabimus ergo huic hominum similitudini cum Deo, quidquid homines vltra ceteras res creatas adspectabiles euehit, ideoque *a*) rationem, *b*) vsum rerum creatarum latissime patentem, *c*) probitatem et virtutem. Quidam his addunt immortalitatem animi et corporis.

20. Ac de ratione quidem, huius similitudinis parte, non opus videtur verbis: nemo enim dubitat, esse nos propter hanc similitudine cum Deo coniunctos.

21. Vsum rerum creatarum commemorat ipse Moses tum, cum mentionem facit

similitudinis cum Deo[1]). Est ergo ille vsus pars huius similitudinis. Nominat autem Moses hunc vsum imperium in res creatas[2]), partim quia homo sic superior est rebus, quibus vtitur, partim quia iis arbitratu suo vtitur, easque millenis modis tractat. Vbi vero imperii nomen et notio vsurpari potest, ibi tribuunt Hebraei illis, qui imperant, similitudinem cum Deo[3]).

1) Gen. 1, 26. Pariter Gen. 9, 6. ostenditur, caedem hominis nefandam esse: non enim debere hominem, similem Dei, cui subsint animantia, aeque trucidari, ac pecora, ipsi subdita, et in eius alimentum mactanda.
2) Cf. Ps. 8, 7. 8. 9.
3) Ps. 82, 6. 1 Cor. 11, 7.

22. De probitate et virtute, parte similitudinis cum Deo, cogitare necesse est, partim quia primi homines recentes fuerunt memores officii, ac probi[1]), partim quia per vniuersam SSam probitas potissimum et nominatim tractatur, vt similitudo cum Deo, etiamsi non de primis hominibus sermo est[2]). Quod ergo de omnibus probis, etiamsi nonnumquam titubant, valet, eos referre similitudine Deum, idem cur non valeat, et multo magis valeat, de primis hominibus, quales ab initio fuerunt, expertes vitii scelerisque?

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0134
DFG

1) Gen. 3, 2. 3. cf. §. 8.
2) Ephes. 4, 24. 2 Petr. 1, 4. 1 Io. 3, 7.

23. Tantus si est ambitus similitudinis cum Deo: sequitur vt, quotquot nascantur homines, hi sint Dei similes propter rationem et vsum rerum creatarum: ex alia parte non sint, quia non sunt probi, simulac nascuntur; sed fiunt demum Dei similes, dum fiunt probi.

Apologia Conf. Aug. p. 53. 54. similitudinem hominum cum Deo ponit in *certiore notitia Dei* (ideoque etiam officii; vid. Melanchthonis verba apud Chemnit. Loc. T. 2. p. 95.) et in *probitate*: quippe probitas, quae haud dubie continet similitudinem cum Deo, non habet locum sine Dei (et officii) notitia certiore. cf. Col. 3, 10. Hanc *notitiam* vt plurimum theologi perfectionem intellectus primorum hominum nominant: *probitatem* vero dicunt perfectionem voluntatis et appetitus sensitiui, item originalem iustitiam. Atque hanc probitatem intelligunt κατ' ἐξοχήν, vbi dogmatico et stricto sensu de imagine Dei sermo est.

Cf. Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 210 sqq. Körneri dissertatio de imagine diuina. Viteberg. 1768. Socinianam de imagine Dei sententiam examinauit Scherzer. in Colleg. Antisocin. p. 274.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0135
DFG

PARTIS TERTIAE CAPVT SECVNDVM.

De generis humani imperfectione morali, et nexa inde miseria, auxiliique necessitate.

I.

Constanter in SSa docetur et vrgetur, homines omnes, vt nunc est genus humanum, esse vno verbo peccatores[1]): h. e. et sensus[2]) et facta eorum solere *non congruere cum lege*[3]) *atque institutione*[4]) diuina.

1) Rom. 3, 9. 23. Ps. 14, 3. Et confirmat experientia.

2) Varios modos, quo se exserunt appetitiones, auersationes, studia, propensiones.

3) Siue fuerit naturalis, siue comprehensa libris sacris, naturalem repetentibus, confirmantibus, illustrantibus, augentibus.

4) Siue Deus per doctrinam SSae, siue per opera sua declarauerit, quid ipse spectet, velit, quo a nobis iuxta talem institutionem respiciendum sit mente et factis, (Erklärungen Gottes über seine Absichten, als Wille und Regel für die Menschen).

Ergo *peccatum* vno verbo dicitur ἀνομία (1 Io. 3, 4), et in scholis ἀταξία, indicaturque his verbis, *peccando* dissentiri a Deo, contraria sentiri et fieri Deo (ἐχθρὰ τῷ Θεῷ), *non fieri et sentiri, quod respectu Dei instituentis, et normam proponentis, debet* (ἃ κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ), quemadmodum recte agendo consentitur cum Deo, fit, quod fieri respectu instituentis proponentisque normam Dei debet.

Ita factum est *peccati* verbum in doctrina religionis proprium.

2. Esse vero homines omnes hoc sensu peccatores, id per partes sic describitur: eos omnes, nullo excepto[1]), quoniam aliquamdiu insciі sint moralitatis[2]), *appetere* varie id, *quod* appeti *non debet*, et sic, *vt non debet*[3]): eos omnes *malle agendo* etiam *sequi appetitionem* potius, quam legem, institutionem et normam, aut adeo malle sequi appetitionem solam[4]), (h. e. sibi relictam, nulla legis et institutionis norma gubernatam, normaeque contrariam), eosdemque omnes *re ipsa sequi appetitionem* solam contrariamque legi solere[5]): idque ita fieri *a teneris*[6]), *per omnem* reliquam *vitam*.

1) Io. 3, 6. Rom. 3, 9. 19.

2) Rom. 7, 7. aliquamdiu non habent notionem peccati, aut appetitionis talis, qualis esse non debet: nesciunt, quid sit, non recte appetere et agere, (cf. Progr. tert. de homine, submittente se Deo, in Dissertt. Vol. II. p. 173). Haec ergo fieri solet communis causa peccati, non est peccatum ipsum.

3) Hoc κατ' ἐξοχὴν in SSa dicitur ἐπιθυμεῖν: et ἐπιθυμία, κατ' ἐξοχὴν dicta, est appetitio, qualis respectu normae esse non debet, ἅπαντος ἐπιθυμία, σαρκὸς ἐπιθυμία. 1 Io. 2, 16. Latinitas ecclesiastica e Vulg. vers. *concupiscentiam* nominat.

4) Rom. 7, 8 sqq. *in vetitum niti*, *videntem meliora niti in deteriora*. Haec est αὐθάδεια, obnitens meliori cognitioni, Gal. 5, 17. Rom. 7, 23. Hoc est φρόνημα τῶν τῆς σαρκός. Rom. 8, 5 sqq.

5) ποιεῖν τὸ θέλημα τῆς σαρκός. Epheſ. 2, 3. ποιεῖν et τελεῖν ἐπιθυμίαν. Gal. 5, 16. עֲשׂוֹת חֶפֶץ. Ieſ. 58, 13. *pro lubitu agere.*

6) Gen. 8, 21. cf. 6, 5. Idem eſt מִבַּטְנָן. Nam cum Hebraei dicunt, aliquem מִבַּטְנָן fuiſſe ſenſu quodam, aut egiſſe aliquid, ſiue bonum (Pſ. 22, 10. 11. Iob. 31, 18), ſiue malum, (Ieſ. 48, 8. Pſ. 58, 4): exprimunt, mature ſe hoc exſeruiſſe, inueteratum iam eſſe, eum non nuper demum coepiſſe, ſed ſaepe iam egiſſe: nec notant punctum temporis, quo coepit; ſed ſumunt, homini venire aliquem ſenſum, aliquid conſcientiae rationisque debuiſſe, vt in eo ſe exſereret id, quod מִבַּטְנָן ſe exſeruerit. [Ergo et Pſ. 51, 7. (qui locus de ſolo Dauide agit, non autem per ſe dogma eſt de toto genere humano) ſic ceperim: *adeo non excuſo me, vt potius fatear, me adulterio et caede aduerſus Deum peccaſſe, atque adeo concedam, me non nunc demum coepiſſe peccare, non hoc primum aut ſecundum peccatum meum eſſe, ſed, ex quo fui, innumera peccata me admiſiſſe.* Fluit hic ſenſus e Io. 9, 34: vbi formula haec eſt deſcriptio hominis longe peſſimi grauiſſima.]

Omnis haec indoles hominum, qua animum et facta, nominatur φθορά, h. e. indoles *non talis, qualis eſſe debet.* 2 Petr. 2, 19. Epheſ. 4, 22. 1 Tim. 6, 5.

Homo, qui eſt purus putus ἐπιθυμητής, ſoli appetitioni mente et vita deditus, inconſulta norma, dicitur ψυχικός, ep. Iud. v. 19. Nam נֶפֶשׁ inter alia omnis generis appetitionem, etiam non vitioſam, apud Hebraeos ſignificat. Vnde per etymologiam homo ψυχικὸς foret, qui ſolet appetere, qui hoc habet, vt appetat. Sed per vſum loquendi N. T. in deteriorem partem is, qui *ſolam* appetitionem ſpectat, et totus eſt נֶפֶשׁ, tantummodo appetens, qui nihil nouit, nec ſcire vult, niſi quo φυσικῶς (ep. Iud. v. 10) vt brutum fertur, dicitur homo τῆς ψυχῆς ſeu ψυχικός, *bloß und ganz thieriſch*, eique

opponitur ὁ ἔχων πνεῦμα, qui istam indolem correxit beneficio normae, atque iam meliore sensu est. cf. Iac. 3, 15. de eo, qui nihil nouit nisi litigia et odia. [Pariter, etsi in alio genere, is, qui tantummodo suas *opinationes* sequitur, et iuxta eas ruit, aliam omnem sententiam et *institutionem diuinam* susque deque habens, dicitur ψυχικὸς, 1 Cor. 2, 14. eique opponitur πνευματικὸς, *compos institutionis diuinae, eaque vtens.*] cf. Noesselti Opusc. ad interpr. SSae. Fasc. 2. p. 132.

Nonnullae peccantium descriptiones, in SSa obuiae, pertinent ad hos, qui penitus mersi sceleribus viuunt (1 Cor. 6, 11. Ephes. 4, 18. 19. Tit. 3, 3. cf. Gen. 6, 11 sqq.): non quo dicantur omnes ac singuli eo vsque progredi; sed vt ostendatur, quid fieri vulgo soleat, quanta sit et fiat ἀταξία inter homines, quam necessaria sit medicina. Et sunt potius nationum, aetatum, gradus summi descriptiones, quam doctrina de eo, quod generis humani vniuersitati vbiuis, et semper, et nemine excepto, inde ab halitu primo, ipsa re commune est.

3. Hominem hac de causa miserum esse, nemo rem serio cogitans facile neget. Homo enim, non meros habens impetus (ὁρμὰς) ad appetendum et auersandum, sed et intelligentia atque ratione gaudens, si hac parum vtatur, et vnum illum impetum sequi malit sequaturque, qui dici potest felix[1])? Homo, qui non nisi admonitus moralitatem nouit et animaduertit, admonitus vero non curat, atque adeo contra nititur, num felix est[2])? Non sunt felices, in quorum animo et vita plena sunt omnia errorum, opinionum, festinationum, libidinum, perturbationum[3]), et potius simili-

tudo cum brutis, quam dignitas hominis, aut similitudo cum Deo. Haec est *animi depravatio*, hoc necessarium illud et magnopere vrgendum a doctoribus malum, quod peccando contrahitur.

1) Ps. 32, 8. 9.
2) Rom. 7, 10. 11.
3) Ephes. 2, 1. Tit. 3, 3. 8.

4. Ad hanc miseriam accedit, quod homo cum ob huiusmodi appetitionem licentiorem, tum ob huiusmodi abnormia facta, iudice Deo *culpam sustinet*[1]). Nam non facta modo, per quae se exserit licentior appetitio, sed et appetitio ipsa, sine discrimine ἀξιοθάνατα declarantur[2]): sunt enim haec ambo normae contraria[3]). Inest ergo in hac quoque re peccati miseria.

1) Culpam sustinet, qui, propter neglectum legis, annexum legi malum ad se pertinere concedere debet, idque proprie, e sensu legis et legislatoris, auertere ab se nequit. Inest ergo culpa in relatione hominis, subditi legi, ad legem ab se violatam legisque auctorem, ob quam relationem tenetur ad poenam, constitutam violantibus. Qui culpam sustinet, dicitur ὀφειλέτης (Luc. 13, 4), ἔχων ἁμαρτίαν (Io. 19, 11), ἡμαρτηκώς (Ier. 2, 35. 1 Io. 1, 10), ἔνοχος νόμῳ (Iac. 2, 10), ὑπόδικος Θεῷ (Rom. 3, 19), ὃν χρὴ λόγον ἀποδοῦναι, τέκνον ὀργῆς.
2) Rom. 1, 29 — 32. et 3, 9 — 19.
3) Col. 1, 21.

5. Si homo culpam sustinet: non potest omni metu vacuus viuere, aut Deum, qui sanctus et iustus, idemque euergeta est, et legislator summus, ac semet ipsum, a sancto et iusto dissentientem, euergetae ingratum, legislatori contrarium, sine vlla sollicitudine coniunctim[1]) cogitare[2]): quippe metuet iudicium Dei de se tali homine, et huius iudicii consequens. Hic *metus*, a conscientia culpae oriundus, est alia miseria peccato annexa.

1) Se *talem*, relate ad Deum *talem*.
2) Rom. 3, 19. 23. 1 Io. 1, 8 sqq. ibid. 3, 19 sqq.

6. Praeterea SSa perspicue loquitur de *futura* post hanc vitam peccatorum *miseria*, et sic quoque exhibet notitiam annexi peccato mali.

Proinde praesertim N. T. libri, de peccati miseria exponentes, ad miseriam animi futuraeque conditionis respiciunt, cui opem ferre volunt docendo. Hanc miseriam christiana religio in adspectum orbis terrarum adducere voluit: nam damna, quae peccatum dare solet corpori, rebus externis, societati, vel sic extra dubitationem posita sunt. Miseriam peccati omnigenam SSa nominat ὄλεθρον, ἀπώλειαν, σκότος, θάνατον, εἶναι νεκρὸν (miserum) ἐν παραπτώμασι. Ephes. 2, 1.

7. Indiget ergo homo venia, h. e. indiget hoc beneficio, vt metu mali liberetur, et ipso malo, futuro potissimum, libere-

tur[1]). Et vero indiget emendatione, non externa modo factorum, sed in primis interna appetitionum[2]). Vtrumque beneficium ei offert doctrina SSae[3]).

1) Rom. 3, 19 sqq. Cf. P. 4. C. 2. S. 2. §. 5. vbi notio veniae peccatorum traditur.
2) Rom. 7, 24 sqq. et 8, 1 sqq.
3) 2 Cor. 5, 20. 21. Io. 8, 32 sqq. ἐλευθεροῦν τὸν ἄνθρωπον τῆς ἁμαρτίας.

---

[1] Venia nos indigere, sensit maxima pars hominum omni aetate, cum tot sint vbiuis introductae expiationes, et modi satisfaciendi numini, atque damna delictorum ab se remouendi. (cf. Buddei Misc. Sacr. P. 2. p. 242 sqq. Witsii Misc. Sacr. T. 2 exerc. 20.) Et quamquam varie hic erratum est: tamen in vniuersum elucet hic sensus, de quo loquor, elaborandum esse in fauore Dei recuperando.

8. In partibus miseriae, peccatum consecutae, nominatur etiam *communis necessitas moriendi.* Rom. 5, 12.

9. Hanc necessitatem dum docemur cogitando coniungere cum peccato, vt annexum ei malum: docemur cogitare, in peccato *primam originem*[1]) esse, quare Deus nequeat et nolit amplius homini beneficium hoc singulare exhibere, vt corpora semper cum animis coniuncta, semper hoc motu et hac vi viuendi praedita esse sinat[2]); quare nequeat et nolit corpora aliter liberare terrea et dissolubili indole, quam per foedam

dam hanc mutationem; quare nequeat et nolit aliter ea paria durabilitati reddere, quam hac mutatione, quae ad tempus vita penitus priuat.

1) Non ergo negatur, in variis singulorum mortibus innumeras esse causas *proximas* moriendi; sed hae transiliuntur, et prima atque remotissima origo communis necessitatis moriendi commemoratur.

2) Cf. Locus de initiis generis humani. §. 9. 16.

Corollaria.

1. Quid Ephes. 2, 3. videtur esse φύσις? Nempe status hominis, dediti soli appetitioni, nullo ad regulam respectu, et talem appetitionem licenter sequentis, nondum moraliter correcti.

Nam primo, quos Paulus dicit φύσει fuisse miseros, eosdem dicit fuisse miseros eo, quod *cupiditatibus dediti* vixerint. Ergo φύσις est ille ipse status, in quo quis deditus cupiditatibus viuit.

Secundo, τῇ φύσει opponit statum hominis, veniam nacti (v. 5. cf. Col. 2, 13.) et emendati (v. 10). Ergo φύσις est status hominis, expertis veniae et emendationis.

Ergo φύσις nec natura hominis est, a Deo data; nec substantia eius; nec essentia (Ita Flacius sensit. Cf. LL. SS. p. 639. Musaei praelect. in F. C. p. 38. Walchs Einleit. in die Streit. der Luth. Kirch. T. 1. p. 68.); nec

momentum conceptionis et originis in vtero materno; nec actus nascendi. Naturale, est τὸ ἁπλῶς ἐπιθυμητικὸν animo factisque, ad quod nondum accessit moralis correctio: idque dicitur (vt opinor) naturale, quoniam omnibus, vt nunc sunt, hominibus ita commune est, vt, quales nunc quidem sunt, contrarium exspectari nequeat. Hominem enim, qui adhuc caret institutione et correctione, exspectare eumdem bonum, non ἁπλῶς ἐπιθυμητὴν, aut vllum exspectare hominem, qui non sit interdum ἁπλῶς ἐπιθυμητής, foret non naturale (unnatürlich.) cf. coroll. 6.

2. Damnum duplex, quod inter homines est, cum animi vitiositatem vitaeque peruersitatem, tum communem moriendi necessitatem, Paulus cum Adami peccato, vt cum origine huius duplicis damni vltima et remotissima, simpliciter asseuerando nectit: Rom. 5, 12 seqq. 1 Cor. 15, 21. 22. (*vti et quia Adamus talis esse coepit, sic et ideo ceteri tales sunt.* Cf. locum simillimum Sirac. 25, 24.) Vult autem, id ita asseuerans, docere, hoc duplex damnum esse perquam graue, *quia ad omnes omnino pertineat.* Comparat enim cum eo duplex remedium et beneficium, (veniam et vitae recuperationem, Rom. 5, 16.17.) quod debemus negotio Christi, in his terris libenter et cum obedientia erga Deum (v. 19.) peracto: (quippe haec est ὑπακοὴ χριστοῦ constanti vsu loquendi SSae. cf. P. 4. C. 2. S. 2. §. 7. et ibid. Append. §. 4. schol.): et hac comparatione declarat,

hoc etiam beneficium duplex permagnum esse, *quia pariter ad omnes omnino pertinet.* Ita ergo vnus omnibus nocuit, vnus omnibus profuit. Non ergo describit, *quomodo* vitiositas animi et vitae transierit ab Adamo ad ceteros. (Griesbachs populäre Dogmatik. §. 121. d.) Non negat, multas alias et in homine, et extra eum, propiores causas esse (Rom. 7, 18), quare peccet. (cf. Griesbach. ibid. § 119 sqq.) Non negat, alias et propiores causas esse, quare homines moriantur: atque adeo docet, quemuis mori, quia quiuis peccato obnoxius sit Rom. 5, 12. ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον), non autem tantummodo ideo, quia primus homo peccarit, aut vt luat homo moriens peccatum Adami; sed omnium vltimam originem, quare homines peccent morianturque, retrogrado nexu continuato, esse in homine primo ait simpliciter. Qui vero dicit, me damnum pati propter alium, ex alterius facto ortum, is non illico dicit, me puniri hac re propter alterius factum.

Et tamen communis illa necessitas moriendi dicta est a multis imputatio peccati [1]), ab Adamo commissi; et eius nominatim peccati, quod interdicto sibi fructu arboris vsus est [2]). Eam viri putant variis SSae locis [3]), fulciuntque aut decreto Dei libero [4]), aut descriptione Adami, vt capitis foederalis: (sic enim appellant) [5]). Sed vix potest proprie et stricte dicta imputatio intelli-

gi[6]). Si quis velit hoc vocabulo vti: videtur hoc sensu emolliendum, nos omnes sentire et ferre damnum, ortum ex eo, et nexum cum eo, quod Adamus egit (die schädlichen Folgen des Falls der ersten Menschen tragen). Nam haec sententia est vera. Illa vero imputatio est a multis etiam vtque eo extensa, vt id, quod omnes, qui nascuntur, vitiosi sunt, dicatur fieri eo, quod iis sic imputetur primorum hominum peccatum [7]), siue hac ipsa re, quod posteri sunt tales, iis imputari id, quod fecerunt homines primi. Sed consequens non est statim imputatio.

1) Eam praeter alios defendit Witsius in oeconomia foederum. Herborn. 1712. Contra impugnauit Whitby, (etsi hic plura negauit, quam id, de quo nunc sermo est, notatus a Buddeo in inst. theol. dogm. p. 808.) in tractatu de imputatione peccati Adami: recuso cura Semleri, ad calcem Epistolae Pelagii ad Demetriadem. Halae 1775.

2) Cf. Witsius l. l. p. 116.

3) Hos. 6, 7. (Sed hoc loco est mera comparatio Iudaeorum peccantium cum Adamo peccante.) Rom. 5, 15. 1 Cor. 15, 21. 22. (Sed hi loci breuiores sunt summa eorum, quae Rom. 5, 12. vberius, totius rei nexu per partes descripto, *et addita mentione proximae causae moriendi*, leguntur). Rom. 5, 19. (Sed sensus est: *Per vnius παρακοὴν multi facti sunt tales, qui peccant* (non additur, *per imputationem*, nec omnino additur, *quonam modo:*) hinc sequitur concludendo, *ideoque culpae obnoxii* facti sunt, scilicet, quia ἁμαρτωλοὶ facti sunt.)

4) Rom. 11, 32. Sed hic dicitur, siuisse Deum Iudaeos paganosque alternis et ignorare et repudiare veram religionem, et alternis eos ad hanc deduxisse.

5) Vid. Witsius, p. 19. Buddei th. dogm. p. 729. vbi et plures scriptores nominantur. Historia et

examen huius opinionis exstat in Pfaffii institt. th. dogm. et mor. p. 260 sqq.

6) v. Pfaffius l. l. p. 235. 270.

7) Baieri theol. pos. p. 446.

Examinauit omnem rem etiam Doederlein in instit. theol. P. 2. §. 187. cf. Müllers Darstellung der chr. Glaubenslehre §. 57. p. 138.

3. In doctrinam de peccato receptum est subinde vocabulum, *peccatum originis* (originale)[1]), aliter atque aliter intellectum[2]). Exprimuntur hoc vocabulo in publicis coetus nostri libris[3]) hae res: *obuius in hominibus*, quotquot nascuntur, *defectus* cum verae et interioris *pietatis* (profecto enim omnes fieri demum debemus pii), tum *virium* adipiscendi hanc pietatem, (adiuuandi enim vtique sumus a Deo doctrinae ope), *obuia* item *in omnibus concupiscentia* ἄτακτος (hanc inesse nobis, loquitur experientia). Est ergo haec rei verae descriptio vera et bona: atque si nomine nouo, *peccatum originis*, res in se vera exprimitur, nomen, hoc sensu vsurpatum, non est simpliciter reprehensione dignum. Si qui male definiunt, si falsas notiones ei tribuunt: hoc non est omnibus, qui verbo hoc vtuntur, culpae vertendum. Breuius theologi dicunt[4]), peccatum originis esse statum, qualis non debet, animi, destituti morali τάξει[5]), ad eam-

que imbecilli nec apti, et ad moralem ἀταξίαν proni [6]). Sic ergo distinguitur hic status ab actu ipso peccandi (actualibus peccatis).

1) Synonyma, a scriptoribus ecclesiasticis vsurpata, collegit Gerhard. Loc. T. 2. p. 136.
2) ibid. p. 138 sqq.
3) LL. SS. p. 9 et 55.
4) Classicus in hanc rem locus est Musaei. (Erklärung der Ien. Theol. p. 229 sqq.) Cf. Ei. praelect. in Form. Conc. p. 52 et 65 sqq. Gerhard. Loc. T. 2. p. 137. Baieri th. pos. p. 434.
5) Appellant carentiam seu priuationem iustitiae originalis: στερητικόν τι, peccatum originis abstracte dictum.
6) Appellant ἕξεικόν τι, peccatum originis concrete dictum, ἄτακτον concupiscentiam. Poterit et abstracte dici *pronitas* ad ἀτάκτως appetendum, τὸ ἐπιθυμητικόν. Dicitur ergo homo deprauatus (corruptus, non talis, qualis esse debet,) quoniam respectu intellectus et voluntatis aliquid deest, respectu appetitus sensitiui pronus est, proclinat, praeponderat aliquid ad τὸ ἄνομον. Cf. LL. SS. p. 51. *perpetua* (per omnem vitam se exserens) *naturae inclinatio.*

4. Has ergo res coniunctim intelligunt nostri theologi, cum *homines nasci cum peccato* dicunt*). Quod si res ipsa adest, vt profecto adest, non attinet, de formula hac (e Ps. 51, 7 petita) aut de vocabulo ecclesiastico (peccatum originis) litigare.

*) v. diserta formulae definitio in art. 2. Aug. Conf. Alii aliter hanc formulam definierunt. v. Erasmus

ad Rom. 5, 12. Voſſii hiſtoria Pelagiana. p. 150. praeſertim p. 161 ſqq.

5. SSa loquitur de hac re non tam abstracte ſpectata, quatenus eſt vacuitas a bono, quam vt eſt in concreto[1]), quatenus adeſt et ſentitur aliquid mali, ipſa prauitas, ipſa concupiſcentia: nec discernit ſedulo id, quod cum natalibus allatum eſt, ſeu ſtatum eius, qui naſcitur, qualis tum eſt, cum naſcitur, ab eo, quod aduenticium eſt; ſed promiſcue deſcribit[2]).

1) v. Muſaeus l. l. p. 231 ſqq.
2) Cruſii Moraltheologie. P. 1. p. 207.

6. Cauſam huiusmodi ſtatus hominum, vnius poſt alterum, et quidem vnam, vt primum fontem omnis vitioſitatis, Pelagius nominatim ſitam eſſe putauit in imitatione et adſuetudine[1]). Sed non apparet, quomodo repeti ab imitatione poſſit τὸ ψυχικὸν et ἁπλῶς ἐπιθυμητικὸν, h. e. id, quod apud omnes omnino efficaciter praeponderat appetitio rationem et normam, quod, ſublata iam in adultis ignoratione moralitatis, tamen praeponderat, quod vel inuitis nobis praeponderat. Hoc ſane latet altius. Offenderat Pelagium, quod eius aduerſarii naturam hominis deprauatam dicebant, vtentes illo naturae verbo ambigue. (cf. P.

5. cap. 3. coroll. 2). Sed, quomodocumque isti verbum ceperint, non incommode dicitur hoc ψυχικὸν et ἁπλῶς ἐπιθυμητικὸν insitum aut naturale, aut status naturalis: nempe vt ea nominamus naturalia, quae sunt omnibus communia non modo, sed ita communia, vt, si in aliquo eorum, quales nunc sunt, non essent, extraordinarium foret, vt vtique sit apud omnes hoc, non item aliud, exspectandum[2]): remotis significationibus, quas alibi naturae vocabulum habet.

1) v. Vossius l. l. p. 172.
2) v. Crusius l. l. p. 205 sq. cf. coroll. 1.

7. Contra docuit Augustinus[1]), non ille primus de hac re locutus, sed orta controuersia ceterorum antesignanus, peccatum in ipso conceptionis momento transferri propagatione a parentibus ad liberos, quia omne humanum genus moraliter corruptum fuerit in Adamo. Hic post alios multa duriter dixit[2]), varios SSae locos cum aliis male interpretatus est[3]), et admiscendi multa προβλήματα occasionem dedit. Omnino dolendum est, homines non adquieuisse eo, quod est in promtu, esse talem defectum talemque concupiscentiam, qualem quisque sui pectoris scrutator ex-

peritur; sed quaesiuisse *causam vnam*, omnium primam, et *modum*, *quo* vnus post alium talis fiat, et tot alias quaestiones adiunxisse 4).

1) Libros eius aduersus Pelagium scriptos recensuit Norisius in historia Pelagiana (v. ind. in Augustinus), cui Vindiciae Augustinianae adiectae sunt. Patav. 1673. Cf. Buddei Isagoge p. 931 sqq.
2) Idem accidit Luthero. v. Musaei prael. in F. C. p. 85.
3) v. supra §. 2. Schol. 3. Nec Iob. 14, 4. huc referri debebat, aut versio Latina huius loci, in vulgata exstans, transferri ad Ps. 51, 7.
4) v. Gerhardi Locos T. 2. p. 145. Musaei prael. in F. Conc. p. 69 sqq. p. 77.

8. Populariter ergo locum de peccato originis tradens docebit, deesse hominibus, qui nascuntur, pietatem, eosque ad hanc indigere doctrina et auxilio Dei, inesse item omnibus propensionem ἄταχτον, quae vtique corrigi debeat. (cf. coroll. 3). In scrutando modo, quo vnus post alium fit et est talis, homines indoctos non detinebit. Dicet cum Paulo, inde ab Adamo nexu continuo vnum post alium talem esse (cf. coroll. 2), in Adamo esse communis et magni mali originem remotissimam, vt sentiant, magnum et commune omnibus beneficium Christi esse, qui eos illo malo et damnis eius omnibus liberauit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0151
DFG

PARS QVARTA.

De gratia Dei salutari.

CAPVT PRIMVM

De notione et natura huius gratiae, et consilio Dei eam exhibendi.

I.

His hominibus, animi sensu vitiosis, vita improbis, ideoque veniae et emendationis indigis[1]), declarat et offert reuelata pars[2]) doctrinae christianae salutarem Dei gratiam[3]).

1) Cap. antec. §. 7.
2) Proleg. sect. 2.
3) Tit. 2, 11. et 3, 4. Hinc illa nomina huius doctrinae Act. 20, 24. 32. Ephes. 1, 13.

2. Haec salutaris[1]) Dei gratia constat partim *beneuolo consilio*[2]) Dei aeterno[3]), nos, qua peccati causa miseri sumus[4]), liberandi hac miseria[5]), iisdemque nobis, qua peccati causa miseri sumus, exhibendi certa bona[6]); partim his ipsis *bonis reuera exhibitis*[7]).

1) יְשׁוּעָה, σωτηρία, est vel liberatio a malo, vel concessio boni, vel vtrumque. Vnde etiam Deus σωτὴρ (Tit. 3, 4. Ep. Iud. v. 25. 1 Tim. 2, 3. et 4, 10.)

liberat malo, exhibet bonum. Hinc amoris Dei fructus duplex, Io. 3, 16.

2) 2 Tim. 1, 9. πρόθεσις καὶ χάρις, *consilium, vt beneuolentia, quam exhibere decreuit.* Epheſ. 1, 5. ἡ εὐδοκία τοῦ θελήματος. ib. v. 6. 7. χάρις. v. 11. πρόθεσις. v. 4. ἐκλογή. (בחר significat, vel *prae ceteris amauit*, vel *prae ceteris ornauit beneficiis*, amoris exhibendi cauſa.) ib. v. 5. προορίζειν. In ſchoolis dicitur communi nomine, *decretum.* cf. p. 51.

[Verbum ὁρίζειν per ſe ſignificat, *certo velle, certo ſibi proponere:* ideoque προορίζειν τινὰ εἰς ἀγαθόν, *certo velle alicui bonum tribuere.* Epheſ. 1, 5. *certo velle aliquem vt filium tractare.* Rom. 8, 29. *certo velle hominem*, miſeriis preſſum, *perducere ad ſummam felicitatem*, vt Chriſtus, miſeriis preſſus, ad ſummam felicitatem ductus eſt].

3) Epheſ. 1, 4. 2 Tim. 1, 9. Et hoc ipſum ſemper indicat πρὸ in προορίζειν, προγινώσκειν. Rom. 8, 29. 1 Petr. 1, 20. Nam illud πρὸ, quod per ſe ſignificat *ante*, *multo ante*, *dudum* (Act. 26, 5.), eſt ob alios locos ſic definiendum: *antequam fuimus, atque adeo antequam vllus homo, ipſeque mundus fuit.* Omnino autem, quaecumque Deus voluit, ea ab aeterno voluit.

4) Epheſ. 2, 1. 3. 5. νεκροὶ ἐν τοῖς παρ., *miſeri*, τέκνα ὀργῆς. Col. 2, 13. Hinc dicitur *beneuolentia* Dei *erga miſeros*, τὸ ἔλεος. Epheſ. 2, 5. Tit. 3, 5.

5) σώζειν ἀπὸ τῆς ὀργῆς. Rom. 5, 9. σώζειν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν. Matth. 1, 21. (etſi h. l. non de Patre, ſed de Chriſto ſermo eſt) λύτρωσιν ποιεῖν. Luc. 1, 68. cf. v. 77. Tit. 3, 5. Ergo σώζειν continet hanc notionem, *liberare miſeria.* Addatur, σώζειν τὸ ἀπολωλός.

6) Id voluiſſe Deum planum eſt, cum centies dicatur praeſtitiſſe, et in aeternum praeſtiturus eſſe,

et nos dicamur accipere, κληρῶσθαι, quia Deus voluit, κατὰ πρόθεσιν τῦ Θεῦ. Ephes. 1, 11. *Certa* bona. cf. Proleg. Sect. 2. §. 2.

7) χαρίτεσθαι, *exhibere beneficia.* Ephes. 1, 6. ἐνδείκνυσθαι τὴν χάριν, *re et facto declarare.* Ephes. 2, 7. ζωοποιεῖν, *reddere felicitatem miseris, miseria liberatis.* Ephes. 2, 5. χάρις, *exhibita bona.* 1 Cor. 1, 4 sqq. 2 Cor. 6, 1. Ep. Iud. p. 4.

3. Ea beneficia, exhibita reuera, sunt venia[1]), emendatio[2]), futura felicitas[3]), et institutio, de consilio Dei beneuolo et de his certis bonis procurata[4]).

1) Ephes. 1, 7. Ephes. 2, 3. Cf. Col. 2, 13. Huic veniae porro annexa sunt εἰρήνη πρὸς Θεόν, Rom. 5, 1. υἱοθεσία et παῤῥησία, et libertas christiana.

3) Tit. 3, 3-6. Deus ἔσωσεν, *abstraxit a scelesta vita,* κατὰ τὸν αὐτῦ ἔλεον.

3) Rom. 6, 23. *beneficium, quod nobis a Deo contingit, est sempiterna felicitas.*

4) 1 Tim. 2, 4. *Deus* σωτὴρ *vult deduci ad verae doctrinae notitiam.* 1 Cor. 2, 7. *quam doctrinam Deus* ab aeterno nostrae felicitati *destinarat,* (in hoc ergo est consilium beneuolum) *eam,* nobis incognitam, *aperuit nobis.* (exhibuit re ipsa, quod exhibere voluit). 1 Cor. 1, 4. 5. hanc doctrinam qui didicerunt, his ἐδόθη ἡ χάρις τῦ Θεῦ. Ephes. 1, 8. exhibenda σοφίᾳ καὶ φρονήσει, Deus χάριν exhibuit. Notitia huius consilii Dei et horum bonorum appellatur γνῶσις σωτηρίας. Luc. 1, 77.

4. Iam illa Dei beneuolentia, quae et voluit liberare miseria, certaque exhibere bona, et reuera liberauit miseria, certaque bona exhibuit, vbiuis aut dicitur diserte ἡ

χάρις τῆ Θεῆ ἐν Χρισῶ δοθεῖσα[1]), aut describitur sic, vt ad Christum referatur, hoc est, vt per eum et propter eum exhiberi dicatur[2]), ac Deus etiam dicatur *velle*[3]) exhibere per eum et propter eum.

1) 1 Cor. 1, 4. Id, quod exhibetur, est γνῶσις, v. 5. omnis generis bonorum inde oriundorum possessio, v. 7. spes certa certo secuturae felicitatis. v. 7. 8. Cf. Io. 1, 17. Ephes. 1, 7. et 2, 7. 2 Tim. 1, 9.

2) Per eum Deus nos edocuit de hoc consilio suo et his bonis. Matth. 11, 25. Io. 1, 18. et 17, 3. 1 Io. 5, 20. Per eum docentem nos emendauit. Ephes. 2, 10. Act. 3, 26. Propter eius mortem, respectu ad eam, largitur peccati veniam. Ephes. 1, 6. 7. 1 Io. 4, 10. Rom. 5, 8. propter eum et per eum felicitatem aeternam exhibet. Rom. 6, 23.

3) Io. 6, 40. Idem indicant omnes loci de missio ad homines Dei Filio, et consiliis, ob quae missus est, et causa (amore Dei), quare missus est.

Qui nouit haec bona, quae Pater per Filium et propter eum dare decreuit, et exhibet, is dicitur κατ' ἐξοχὴν nosse Patrem et Filium, nosse Patrem Iesu Christi; h. e. χάριν τῆ πατέρος ἐν υἱῷ δοθεῖσαν. Matth. 11, 27. 1 Io. 2, 22, 23. et 5, 11.

Quod haec bona exhibere voluit exhibuitque Deus, dicitur κατ' ἐξοχὴν Pater noster. 2 Thess. 2, 16. Cf. p. 55.

5. Haec bona exhibita vt profecto sunt permagna, cum ad tranquillitatem animi, tum ad vitae probitatem, et vero ad possessionem destinatae nobis felicitatis: ita fas est, Christianos sedulo id cogitare, *ab aeterno*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0155
DFG

Deum exhibere haec voluisse (§. 2. not. 3). Nam hinc intelligitur, Deum praeueniisse nos amando[1]), sponte[2]) beneficia parasse et obtulisse, antequam vllus homo fuit, vt adeo nihil ex nostra parte praecesserit[3]), quod Deus videatur re sic decernenda et instituenda compensare voluisse. Proinde, et quia voluit Deus sponte, et quia exhibuit sponte, κατ' ἐξοχήν dicitur ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ[4]).

1) Io. 4, 10. 19.
2) Iac. 1, 18. βουληθεὶς, *cum ita vellet, decreuisset, cum hoc consilium eius esset.* Cf. p. 56.
3) Ephes. 2, 8. 9. Tit. 3, 5. 2 Tim. 1, 9.
4) Io. 3, 16. Rom. 5, 6 sqq. 2 Thess. 2, 16.

6. In hac salutari gratia Dei describenda, non modo dicitur Deus *omnibus* omnino *ac singulis hominibus* eam destinasse, et exhibere velle[1]), ideoque nolle vllum aliquem hominem vtique et simpliciter exclusum venia atque emendatione, et oriunda hinc felicitate[2]); sed docetur etiam, experientia doctrinae asseuerationem comprobante, Deum procurasse, vt beneficium hoc[3]) fieret *omnium generum hominibus* commune, sine discrimine nationum, aetatum, sexuum, rerum externarum[4]).

1) 1 Tim. 2, 4. et 4, 10. Idem confirmant omnes loci, qui Iesum ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων, et περὶ ὅλου

τῶ κόσμω (1 Io. 1, 2.) mortuum [illegible] declarant. Est ergo beneficium hoc destinatio[illegible]ina et consilio mortis Christi καθολικὸν, h. e. *ad singulos homines pertinens.* Haec est *gratia* (voluntas Dei beneuola) *vniuersalis.* Quid futurum sit de his, qui hucusque non adepti sunt haec omnibus destinata bona, annon opinione nostra plures, suo quisque modo, participes eorum futuri sint, id solus Deus nouit.

2) Ezech. 18, 23. et 33, 11. 2 Petr. 3, 9.
Vtique, vt plane nequeant felices fieri, quia Deus nolit.
Simpliciter, quia Deus semel velit, nolit.

3) Rom. 9, 24. et 10, 18. Col. 3, 11. Act. 17, 30. Notitia salutis, et fructus notitiae ad omnes nationes pertinet. Rom. 3, 29. 30. πίστις et δικαιοσύνη ἐκ πίστεως omnibus nationibus parata.
Vrgent hoc apostoli tantopere contra Iudaeorum opinionem, tribuentem Deo gratiam, vni tantum nationi propriam, etsi de communicanda cum paganis religione vera iam prophetae fuerant locuti. (Deut. 32, 21. Iesa. 66 tot.). Vnde apparet, quid ex oppositio sit omnibus commune: nempe commune, sine discrimine tali nationum, praecludenti quasdam nationes.

4) Est ergo beneficium modo exhibendi (per doctrinam) καθολικὸν, et oblata possibilitate accipiendi καθολικὸν, h. e. *ad gentes omnes sine discrimine pertinens.* Ea est vocatio vniuersalis. Sic quoque *gratia* (exhibitio bonorum) hoc sensu est *vniuersalis.*

Quod autem multi V. et N. T. tempore caruerunt notitia huius gratiae salutaris propiore, ac proinde etiam notitiae huius fructu: eius rei causas et effectus proprie solus Deus intelligit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0157
DFG

Interdum causas possumus animaduertere, veluti eum oblatam sibi hanc notitiam varii repudiarunt, aut nati inter Iudaeos ac Christianos eam sibi cognitam et inculcatam non in vsus suos contulerunt. Hi ergo culpam sibimet ipsis tribuunto.

Sed multis tempore V. et N. T. ne innotuit quidem. Hic modeste monent apostoli, non impediuisse Deum, illos haec ignorare [1]), h. e. non eripuisse eos huic ignorationi *missis doctoribus:* ceterum verbum nullum addunt, et hac sua modestia tentamina nostra expiscandarum causarum arguunt vanitatis. Modeste item Paulus monet [2]), per vices Iudaeis paganisque innotuisse; sed in hac ipsa vicissitudine esse, quod nostram superet intelligentiam (ἀνεξερεύνητόν τι).

Quis ergo homo paulo modestior ausit definire, cur his plane non, cur aliis non citius, cur aliis serius, cur aliqua aetate non pluribus innotuerit? Quis, omnibus placide ponderatis, serio sibi persuadeat, destinasse Deum, ne his contingeret, quibus non contigit, aut impediuisse adeo, quo minus iis contingeret? [3]) Quis non erubescat, si praefracte statuere sustineat, vel omnibus, praeter naturalem religionem, aliquid gratiae conuertentis ad hanc salutem, etiam sine λόγῳ τοῦ Θεοῦ, contigisse [4]); vel omnibus innotuisse aliquid, quo possent deduci ad ecclesiam Dei [5]), seu omnibus in locis orbis terrarum saltem aliquo tempore quodammodo λόγον Θεοῦ innotuisse [6]), etsi neglectum deinde. Quid vero hoc (si vel maxime innotuerit) ad posteros eorum, quibus tamen non innotuit?

Actumne igitur erit de horum futura felicitate, qui nulla sua culpa ignorarunt? actumne erit, quia ignorarunt? Enimuero Deus neminem iudicabit iuxta notitiam, quam non habuit; sed iuxta eam, quam habuit [7]). Hiscine vero, qui honeste iuxta naturalem religionem vixerunt, honeste vixisse nihil plane olim proderit, quia tamen nostram religionem ignorarunt? Proderit vero, docente Paulo [8]): vt nocebit aliis, neglexisse naturalem religionem. Ac si Deus hominem paganum, sua vtentem

tem notitia, eumdemque pie ac honeste viuentem, iam in his terris approbat, h. e. si eum, quia pro suae scientiae mensura recte agere studuit, Deus beneficiis ornat[9]: num olim ideo, quia aliquis ignorauit nostram religionem, etsi honeste vixerit, tamen eum simpliciter miseriae addicet? Literae quidem sacrae eos, quibus Christiana religio innotuit, et qui ea vsi sunt, ad celsae felicitatis iis propriae certum gradum iri euectum docent; sed eaedem docent, Deum fore ceterorum iudicem iustissimum, scientiam cuiusuis et facta respicientem[10]). Exspectemus igitur futura.

1) Act. 14, 16. it. 17, 30.
2) Rom. 11, 30. 31.
3) v. Coroll. 3, 4.
4) Id Arminianorum plures opinati sunt, quos refutauit Hülsemannus de auxiliis gratiae. Lipsiae 1655. (v. de eorum historia et scriptoribus Mosheim. in inst. H. E. p. 872 sqq. Walchs Einleitung in die Religionsstreit. p. 438.). Fanatici gratiam eiusmodi in illo suo lumine interno quaerunt.
5) Id statuerunt, quotquot docuerunt, omnes omnino vocatos vllo aliquo modo esse ad ecclesiam, s. vocationem vniuersalem metaphysica vniuersalitate.
6) Cf. Neumanni aphorismos p. 421. Hoc non potest historiae auctoritate liquido confirmari. Cf. Zachariä bibliſche Theologie. Vol. 4. §. 218.
7) Rom. 2, 12.
8) Ib. v. 9, 10.
9) Act. 10, 34. 35. Cornelium paganum (Act. 10, 28. it. 11, 3. 18.) Deus prouexit ad *notitiam et fructus christianae religionis* adipiscendos, quia, nondum christianus, tamen pro suae scientiae mensura bene egerat. Esse ergo eum Deo acceptum, apparuit, quia Deus ei beneficium notitiae christianismi exhibuit, vtpote viro probo, quamquam non Iudaeo.
10) Luc. 12, 47. 48. et saepissime.

Pagani nuperi vacui spe fuerunt, Ephes. 2, 12. h. e. nescierunt, quae Iudaeis proprie promissa erant, neque adeo sibi haec eadem sperare potuerunt. Marc. 16, 16. ἀπιστεῖν est, *oblatam sibi notitiam repudiare*.

Nonnulla de patrum eccles. sententiis tractauit Casaubonus Exercc. adv. Baron. p. 1.

Corollaria.

1. Pars salutaris gratiae est institutio de ea (§. 3). Iam libri sacri, de hominibus, hanc gratiam Dei salutarem edoctis, loquentes, haud raro eos *vocatos*[a]) dicunt. Est enim ex Hebraei sermonis consuetudine *vocare*, simpliciter[b]) nec de communis vitae rebus positum[c]), 1. *monere aliquem*, vt aliquid faciat felicitatis suae causa[d]), 2. *edocere eum* de felicitate, et modum eius adipiscendae (πίστιν et ἔργα καλὰ) monstrare[e]), 3. *offerre et promittere* felicitatem[f]). Ita Deus vocans (κατ' ἐξοχὴν et dogmatico sensu), est, tradens doctrinam suam, (vt suscipiamus et obseruemus,) atque promittens bona.

a) Est adeo verbum κλητοὶ saepe descriptio christianorum, quibus innotuit doctrina. Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 2.

b) h. e. non addita mentione negotii, aut muneris, ad quod quis vocatur, seu quo fungi iubetur. Nam vbi hoc additur, (v. c. Iesa. 46, 11. Rom. 1, 1. Act. 13, 2. et 16, 10. Hos. 11, 1.) ibi per se adparet, quam ad rem et quare aliquis vocatus dicatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0160
DFG

c) Ponitur de re vitae communis. 1 Cor. 7, 20 ἐν τῇ κλήσει μένειν, non mutare *conditionem*, qua quis inter ciues est, aut *vitae genus*, in quo diuina prouidentia eum tum, cum Christianus factus est, versari voluit.

d) Matth. 9, 13. Omninoque est, hortor, iubeo facere. Ebr. 11, 8.

e) vid. omnino 2 Thess. 2, 14. coll. 1 Thess. 2, 12. 1 Petr. 3, 9. 1 Cor. 1, 9. et 26. *cogitate, quonam modo sitis edocti, et sic additi christianorum coetui:* nempe, fere homines de vulgo fuerant edocti. Ephes. 4, 1. *vita, consentanea institutioni, qua quis imbutus est.* Rom. 9, 14. *instituendos curauit*, et ita coetui suo associauit.

f) In omnibus parabolis de his, qui ad epulum invitantur. In locis de populo Israelitico vocato. Cf. Rom. 11, 29. et 9, 11. de bonis, Iacobo et Israeliticae genti promissis. Phil. 3, 14. praemium, caelitus promissum. Cf. p. 127. not. 4. Add. Schmidii progr. de notione κλήσεως Christianorum. Ien. 1790. Potti edit. epistoll. Petri. p. 277.

2. Vocabula προορίζειν, ἐκλέγεσθαι, τάττειν[1]), vsurpata passim de vniuerso hoc consilio beneuolo Dei, in scholis solent angustius dici, vt (particularis) praedestinatio, electio, ordinatio, exprimat *consilium*[2]) *Dei, tribuendi salutem aeternam his, qui ad vitae finem credere perrexerint*[3]). Quae quidem res per se verissima est, etiamsi verba haec non vbiuis in SSa ita anguste dicuntur[4]). Hinc scholae ea etiam latiore sensu accipiunt, et monent, dici Deum etiam προορίσαι praedestinasse) integrum ordinem salutis, siue,

ab aeterno voluisse ea omnia exhibere, et certa via et ratione exhibere, quibus χάρις σωτήριος vniuersa constat[5]).

1) Cf. §. 2. not. 2. τάττειν occurrit Act. 13, 48. vbi Vulg. Vers. habet, *praeordinare*. De hac formula cognatisque v. Dissertt. p. 140.

2) Appellant *decretum*. Cf. Locus de nat. et not. Dei §. 13. p. 51.

3) v. LL. SS. p. 617 sqq. p. 797 sqq. passim. Musaei prael. in F. C. p. 341. Eiusdem dissertatio de aeterno electionis decreto. Ien. 1675.

4) Cf. supra §. 2. not. 2.

5) v. LL. SS. et Musaeum ibid. Inde varios actus praedestinationis, (varia decreta, varias eiusdem decreti partes) numerant. Rem ipsam, et partes omnes χάριτος, exposui supra §. 2. 3. 4.

3. Caluinianorum[1]) multorum et fuit, et est nonnullorum nunc quoque sententia, Deum alios absolute elegisse, (siue decreuisse, vt vtique fierent compotes salutis) quia eos amet; alios absolute reprobasse, (siue decreuisse, vt vtique expertes essent salutis) quia Deus eos non amet, ab iisque alieno sit animo[2]). Haec vno verbo dicitur absoluta praedestinatio.

1) De multis magnisque eorum hac in re dissensionibus v. Walch. Einleitung in die Religionsstr. p. 451.

2) Hanc e libris Caluinianorum sententiam exposuit Gerhard. Locc. T. 2. p. 49. Cf. Caluini instit. christ. relig. l. 3, c. 21. Witsii oecon. foed. l. 3. c. 4. Deseruerunt hanc Calv. sententiam Arminiani.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0162
DFG

4. Redarguit hanc sententiam cum cogitatio naturae Dei, tum illud, quod per omnem SSam homines felices in perpetuum aut miseri fieri dicuntur, si πίστις aut ἀπιστία in iis fuerit, si eorum ἔργα καλὰ aut κακὰ fuerint*). Sequitur ergo, Deum, qui cum conditione promittit, cum conditione dare velle.

*) Huic tam constanti, tam dignae Deo, tam perspicuae doctrinae, vt principio iudicandi, conformanda sunt omnia, quae ambiguitatem habent: veluti, Deum destinare (τιθέναι εἰς τι. 1 Thess. 5, 9. cf. dissertt. p. 140.), Deum efficere, vt homines peccent (Rom. 1, 24. 26. Ies. 29, 10). Nec admiscendus his locus Rom. 9, 9 sqq. qui non agit de aeterna salute aut miseria (v. Limborchii theol. christ. p. 334 sqq. Noesselti Opusc. Fasc. 1. p. 141). Nec intelligenda est destinatio metaphysica, sed populariter dicta. Nec sermo orientis, omnes euentus appellans effectiones Dei (Amos. 3, 6.), vrgendus, vt si philosophica subtilitate expressus definitusque esset: praesertim cum ii, qui Deum nominant causam, alibi alias causas edant (Exod. 4, 21. et 7, 13.), et homines ipsos auctores perniciei suae appellent, quia sponte peccant, eos obiurgent, et inde, quod πίστεως et ἔργων fructum olim deportabimus, concludere nos doceant, Deum esse *iustum* iudicem, qui nihil det amori vel odio absoluto.

PARTIS QVARTAE
CAPVT SECVNDVM
De Seruatore.

SECTIO I.
Quis et qualis fuerit Seruator.

I.

Seruator, siue is, per quem et propter quem Deus descriptam paulo ante salutarem gratiam hominibus exhibet[1]), seque exhibiturum in prophetarum libris varie promisit[2]), est iuxta constantem N. T. doctrinam Iesus[3]) Nazarenus, Mariae filius.

1) Vid. locus de gratia salutari §. 4.

2) Io. 5, 39. Act. 10, 43. Haec ipsa notio, *Seruator*, toties intelligitur, quoties docetur, Iesum esse Messiam, et Messiam iam venisse. Io. 17, 3. 1 Cor. 3, 11. 1 Io. 4, 2. 14. Ita corrigitur falsa notio Messiae, quam Iudaeorum multi conceperant: et verbum Messiae, quod grammatice *regem* significat, fit dogmaticum: et synonymum verbi *Seruator*.

3) Hoc ipsum nomen hanc notionem (Salutem, aut Salutiferum, σωτῆρα,) exprimit. Matth. 1, 21.

2. Huius Iesu natales, educatio, vita omnis et mors commonstrant, eum reuera hominem fuisse[1]), et hominem quidem inferioris sortis, atque cum multis rebus

aduersis[2]), praesertim ciuium odiis, colluctatum.

1) In scholis dicunt, eum habuisse naturam humanam. Gnosticorum nonnulli opinati sunt, eum tantummodo visum esse hominem.

2) κενὸς, ταπεινὸς (Phil. 2, 7. 8.) πειραζόμενος (Ebr. 4, 15. Luc. 22, 28)., σὰρξ (Io. 1, 14. Ebr. 5, 7). cf. Ies. 53, 2.

3. Sed accedens ad historiam doctrina[1]) hunc hominem duabus rebus singularem describit, et ceterorum numero secernit: partim, quod non ortus est eo modo, quo nos omnes e patre et matre orimur, sed omnipotentia diuina hunc hominem, e muliere natum, creauit[2]): partim, quod vitiositatis expers fuit[3]).

1) Cf. Progr. 5. de notit. relig in disc. Vol. II. p. 82 sqq.

2) Luc. 1, 35. Matth. 1, 20. Vsus sum hoc verbo *creauit*. Potest etiam dici: omnipotentia Dei effecit, vt hic homo e muliere nasceretur. Non pugnabo, si cui displiceat, si vrgeat praepositionem ἐξ in formula, ἐκ γυναικὸς γενηθεὶς, si dicere malit, e massa Mariae purificata Christum formatum esse. Noui dissensiones de hac re, et improbo dissensiones omnes de modo, vbi modus extricari non potest. v. Buddei inst. th. dogm. p. 1015. Cotta ad Gerhardi Locos T. 4. p. 350 sqq.

3) Ebr. 7, 26. Et hanc doctrinam rursus confirmat vita Christi, integra et pura sceleris, ad quam nos audacter prouocant apostoli, 1 Petr. 2, 22. 23. et propter quam eum dicunt insontem. ib. 3, 18. 2 Cor. 5, 21.

4. Hunc hominem singularem, consilio singulari et certo, h. e. ideo natum esse do-

cemur, vt Deus eo vteretur ad homines nominatim de singularibus quibusdam rebus, more tamen vsitato, oretenus, per hunc nominatim hominem certiores reddendos, et ad cruentam mortem, peracto hoc negotio, certo consilio ab hoc nominatim homine obeundam *).

*) Vid. de vtraque re Sect. proxima.

5. Humilem ac tenuem eum ideo fuisse docemur, vt exemplum variarum virtutum, tolerantiae nominatim, nobis praeberet [1]), tanto facilius inter pauperes atque ignobiles etiam versaretur [2]), et miseriarum humanarum experimentum caperet vsu suo [3]).

1) 1 Petr. 2, 22. Io. 15, 20. Ebr. 12, 2.

2) Matth. 11, 25. Debebat enim hos, hucusque neglectos (Matth. 9, 36), inprimis imbuere religionis scientia et sensu.

3) Ebr. 2, 17. et 5, 8.

6. Expertem vitiositatis eum ideo fuisse docemur, ne opinaremur, moriendum ei fuisse hac de causa, qua de causa omnes morimur, communemque peccati sortem tulisse, sed causa mortis eius alia attenderetur et admitteretur *).

*) Ebr. 7, 26. 27. ἔπρεπε, consentaneum erat consilio moriendi in peccati veniam, vt moriens esset ὅσιος, ἐχ ἁμαρτωλός: aut δίκαιος. 1 Petr. 3, 18.

7. Singulari autem modo in vtero matris procreatus, et sic quoque similitudine

ac velut indole hominum exemtus est, ne censeretur aeque prauus, ac omnes, qui vulgo continua serie e prauis nascuntur parentibus, sed liber illa morali ἀταξίᾳ*), ad quam vulgo serie continua nati homines propendent.

*) An hoc est τὸ ἅγιον? Luc. 1, 35. An idem quod καθαρόν?

8. Sed illud inprimis singulare in hoc homine Iesu est, quod docemur, eum habere, posse, agere, quae proprie Deus habet, potest, agit*).

*) vid. locus de Patre Filio et Spiritu S. §. 6. Dicimus in scholis ob haec, eum habere naturam diuinam.

9. Hoc est perobscurum, nec vmquam ab hominibus explicabitur: ac ne posset quidem reperiri, quare talia de illo Iesu dicerentur, nisi SSa constanter cum hoc homine Iesu coniungeret indicia alicuius, qui habet, potest, et agit τὰ θεῖα, quem nominat λόγον (cf. p. 71), et υἱὸν θεῦ, et ἐλθόντα ἐξ ἀρανᾶ (Io. 3, 31.), et προαιώνιον. (cf. p. 60. § 7.) Ergo intelligimus, Iesum illum Nazarenum non solum cogitandum esse; sed vna cum eo λόγον aut υἱὸν θεῦ, et Iesum, cum hoc coniunctum, tam magnifice describi.

Doctores ecclesiae hoc expressérunt vno verbo, θεάνθρωπος, aut θέανδρος (v. Suic. Thes.): siue etiam ὁ φιλάνθρωπον dixerunt.

10. Nusquam autem scriptores sacri docent, quae sit illa coniunctio, qui eius modus. Ergo necesse est, de hac re simpliciter cum apostolis loqui.

Ab omni studio explicandae definiendaeque rei quemlibet modestum et concordiae amantem deterrere potest ecclesiastica historia, recensens multa odia, vocabula, concilia, schismata, quae e tali studio promanarunt.

11. Loquitur autem SSa hoc modo: Ὁ λόγος (qui fuit ante mundum conditum) factus est homo, et vixit inter homines[1]): Aequalis Deo similis hominum factus est, humanoque ritu vixit[2]): Filius Dei natus est e muliere[3]): Filius Dei missus est ita, vt similis hominum esset[4]): Filius Dei venit in adspectum nostrum[5]).

1) Io. 1, 14. Inde veteres dixerunt ἐνσάρκωσιν et ἐνανθρώπησιν.
2) Phil. 2, 6. 7.
3) Gal. 4, 4.
4) Rom. 8, 3.
5) 1 Io. 3, 8. cf. ἐν σαρκὶ ἦλθεν. 1. Io. 4, 2. 3.

An 1 Tim. 3, 16. eadem res dicatur, incertum est, quia non constat, an θεὸς in illo loco vera lectio sit.

12. Quoties autem sacri scriptores hanc rem, per se inexplicabilem, simpliciter asseuerant, toties eam conuertunt in vsus docendi et hortandi hoc modo, vt his, quae ille fecit, docuit, pertulit, singularem dignitatem e persona facientis docentisque concilient. Docent nimirum:

Talem ac tantum factum esse hominem, vt incognita plane consilia Dei aperiret certissime, quia vnus omnium norat certissime, et erat singularis doctor, eo sensu missus a Deo, quo sensu nemo alius missus a Deo dicitur. Io. 1, 18. et 3, 12. 32. Vnde sequitur officium, ei citra dubitationem assentiendi, eumque pro singulari plane doctore habendi.

Talem ac tantum, similem hominum se gerentem, se magnopere demisisse, et exacte Patri obediuisse, perfecti et vnici exempli causa. Phil. 2, 5. Io. 13, 34. et 15, 10. Vnde sequitur officium imitandi eum vnice, et tuto, et necessario, quoniam praeiuit, et quomodo praeiuit.

Talem ac tantum hominum similem fuisse, naturamque nostrae mortali similem habuisse, vt mori posset, atque moriendo peccati veniam nobis pararet, metu mortis nos liberaret, nactosque veniam tanto fortius ea re ad sanctitatis studium impelleret. Rom. 8, 3. Ebr. 2, 14 sqq. Vnde sequitur veniae spes liquida, huius sanctitatis quaerendae acre studium, et mortis solatium.

Talem ac tantum missum a Deo esse sic, vt homo (ἐκ γυναικὸς γενόμενος) inter homines, Iudaeus nominatim, adstrictus Mosaicae legi, et hactenus molesto iugo multarumque rerum obseruationibus se submittens, inter Iudaeos versaretur (ὑπὸ νόμον γενόμενος), et obseruans Iudaeus Iudaeorum omnem eamque difficilem legem finem faceret huic obseruandae, ac velut vltimus omnium obseruaret, ne porro vlli, ne Iudaeo quidem,

Christum sequenti, eam obseruare necesse esset. Gal. 4, 4 sqq. Rom. 10, 4. Vnde sequitur libertatis christianae vsura, nitens hac persuasione, legem Mosaicam, olim per legatum Dei volente Deo promulgatam, per multo excelsiorem eius legatum, Filium, vltimum obseruatam esse ideo, vt finis ei fieret.

13. Has doctrinas de pluribus consiliis, quare *tantus ille ac talis* simul homo esse debuerit volueritque, si ponderemus: est affatim materiae et cogitandi, et agendi, et venerandi eum, qui, etsi nostrum similis fuit, tamen idem talis ac tantus fuit. Nam in nullum alium ea cadunt, quae de hoc homine dicuntur, quoniam hic homo idem fuit longe excelsioris naturae.

Corollarium ad §. 9. 10. 11.

Coeperunt alii aliter explicare modum coniunctionis Filii Dei cum homine Iesu.

v. Chemnitius de duabus naturis in Christo: inprimis c. 2. et 8. (Frft. et Viteb. 1653. fol.) Petavii dogmata theol. T. 5. Buddei institutt. theol. dogm. p. 1137. Boerner. instit. th. symbol. p. 287 sqq. Forbes. instruct. hist. theol. l. 2. Cottae dissertationes de persona et officio Christi, insertae Gerhardi Locis T. 4. init. Doederleinii inst. theol. P. 2. §. 253. praesertim obs. 2.

Per controuersias constituta subinde est, vt verior sententia: Filium Dei cum homine Iesu sic inde a conceptione *vnitum* fuisse, vt esset vna persona[1]) duarum naturarum. Haec vnio dicta est vnio personalis[2]) (ἕνωσις ὑποστατική): eaque, vt status, discernitur ab *vnitione*, vt actu. Accessit propter Nestorium[3]), esse ἕνωσιν ἀδιαί-

ρετον et ἀχώριστον: propter Eutychen, esse ἕνωσιν ἀσύγχυτον et ἄτρεπτον[4]).

1) Dicitur etiam ὑπόστασις, ὑφισάμενον, subiectum, suppositum. Describitur persona sic: subiectum intelligens, volens, libere agens.

2) De eius illustrationibus (incommodis, opinor, et inutilibus) per variarum rerum similitudines v. Chemnit. l. l. c. 6. Alii maluerant intelligere coniunctionem operationis Filii Dei cum Iesu homine, quam personalem naturarum vnionem: quae et Töllneri sententia fuit. (vom thätigen Gehorsam Christi. p. 367 sqq.)

3) v. tamen de eo iudicium Moshemii in institt. hist. eccles. p. 199.

4) Breuius hanc de vnione personali sententiam, quam probauit etiam Augustana Confessio (art. 3.), tractant LL. SS. p. 605 sqq. vberius multo p. 761 sqq. Cf. Musaei praelectiones in Form. Conc. p. 266 sqq.)

Introductus est et hic loquendi modus: communicatio seu communio intima duarum naturarum (κοινωνία φύσεων, περιχώρησις: indicans, non modo Filium Dei et hominem vnitos esse: sed etiam duas naturas inde a conceptionis tempore reuera communicationem habere (participare), dicique (in abstracto) posse: Humana natura est natura Filii Dei, qui eam assumsit, et, Diuina natura est natura Filii hominis, qui inde a conceptione accepit et possidet reuera, quae proprie (essentialiter) sunt diuinae naturae. Cf. LL. SS. p. 764.

Vsurpatae etiam sunt propositiones *personales*, quae de concreto vnius naturae praedicant concretum alterius: quales sunt: Filius hominis est Filius Dei, Filius Dei est homo, Deus est homo, Homo est Deus. Has propositiones appellarunt *singulares* in hac persona, et *inusitatas* alibi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0171
DFG

APPENDIX

de communicatione idiomatum.

1. Apostoli, de Christo loquentes, interdum notant, qua parte de eo aliquid dicant (determinate exprimunt subiectum), v. c. κατὰ σάρκα[2]). Sed plerumque hoc non notant; verum, de eo loquentes, promiscue appellant Iesum, Christum, Dominum, Filium Dei, Filium hominis, et subiecto promiscue expresso tribuunt praedicata promiscue, mori, pati, regere omnia, iudicare omnes. Vnde factum est, vt praedicaretur interdum aliquid de subiecto, cui, si spectetur determinate, ex altera tantum parte, proprie tribui hoc non potest[1]).

1) Rom. 1, 3. et 9, 5. 1 Petr. 4, 1. cf. Chemnit. l. l. c. 15.

2) v. Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 522 sqq.

2. Inualuit vsu scholarum, praedicata omnis generis, (proprietates, effectiones, passiones) appellare idiomata, et vsum praedicatorum de subiecto, cui proprie (essentialiter) tribui non possunt, appellare praedicationem per communicationem (κοινωνίαν) idiomatum. vid. Chemnit. l. l. c. 12. fin. et Musaeus l. l.

3. Distinxerunt doctores tria genera, seu tres classes propositionum, in quibus est

praedicatio per communicationem idiomatum, appellantque vulgo tria genera communicationis idiomatum.

4. Ad primum genus referunt in vniuersum et coniunctim omnes eas propositiones, in quibus de Christo homine (in concreto)[1] praedicantur propria Deo[2], et vicissim de Christo Deo (in concreto)[3] praedicantur propria homini[4]. Has propositiones dicunt idiomaticas, et rem iis expressam nominant ἀντίδοσιν seu ἰδιοποίησιν[5].

1) Appellant concretum humanae naturae, v. c. Filius Mariae, Dauidis.

2) Matth. 9, 6.

3) Appellant concretum diuinae naturae, v. c. Filius Dei.

4) Gal. 2, 20. 1 Cor. 2, 8.

5) Cf. de dissensione in hoc genere definiendo Musaeus l. l. et in praelect. in Form. Conc. p. 285.

Vltra hoc veteres non sunt progressi, nec distincte exposuerunt de secundo et tertio genere. (v. omnino Musaeus in prael. F. C. p. 291. vbi narrat, cur recentiores, et quinam eorum, seorsim de secundo et tertio dicere coeperint. Nonnulli tantummodo primum hoc genus appellant communicationem idiomatum, non item cetera duo. vid. Chemn. l. l. c. 12. extr.)

5. In altero genere[1] seorsim[2] spectant eas propositiones, quae de Christo praedi-

cant aliquid diuinitati proprium, nominatim attributum diuinum ἐνεργητικόν (ἀξίωμα, αὔχημα)[3]. Hoc ita ſpectant, vt ſubiectum ſit Chriſtus, qua homo, et praedicatum ſit aliquid Deo proprium, traditum Chriſto homini poſſidendum vtendumque[4], appellantque has propoſitiones auchematicas aut axiomaticas, et rem iis expreſſam βελτίωσιν humanae naturae, μετάδοσιν diuinae naturae.

1) Alii hoc genus numerant tertium, vt Form. Conc. et Chemnitius.

2) Propter controuerſias cum Zwinglianis, nominatim de omnipraeſentia humanae naturae Chriſti, etiam in coena ſacra.

3) Io. 5, 21. Phil. 3, vlt. omnipotentia. Apoc. 2, 23. Io. 2, 25. omniſcientia. Talia multa, quae in SSa leguntur, collegit Cruſius (Plan des Reiches Gottes. p. 107).

4) κτῆσις et χρῆσις attributorum diuinorum dici ſolet. Initium κτήσεως ducunt a conceptione Chriſti, initium plenae et perpetuae χρήσεως ab eius ὑψώσει.

5) De his ſimilibusque verbis cf. Chemnit. l. l. c. 26.

Inde concluſerunt, potiſſimum exemplum Lutheri ſecuti[1], etiam de humana natura in abstracto praedicari poſſe aliquid, diuinae naturae proprium, cum humana communicatum: v. c. Humana Chriſti natura eſt omnipotens, omnipraeſens: et talem propoſitionem nominant abstractiuam[2]. Nonnulli malunt hoc genus appellare communicationem maieſtatis[3].

1) v. LL. SS. l. l.

2) Non

2) Non leguntur totidem verbis tales propositiones in SSa; sed per conclusionem inde eruuntur. Malunt ergo alii sic loqui: Christus, *etiam qua homo est, qua humanam naturam*, est omnipotens, omnipraesens, agere potest, vbi vult et quando vult, regit omnia, resuscitat mortuos. v. omnino Acta publica de his propositionibus in Hutteri concordia concordi p. 664. 679 sqq. 688. 693. Haec acta publica effecerunt, vt in praefatione Libri Concordiae ille locus poneretur, qui fol. 6. edit. Rechenb. exstat. Cf. Musaei praelect. in F. C. p. 255. Cottae historia de Christo redemtore §. 48 sqq. inserta Locis Gerhardi T. 4.

3) Chemnit. l. l. c. 12. extr.

6. In tertio genere[1]) seorsim spectant eas propositiones, quae de Christo (quem hic θεάνθρωπον, integram personam, quoad vtramque naturam intelligunt) praedicant aliquid, quod effecit (ἀπετέλεσε) ob negotium a se gerendum, quod κατ' ἐξοχὴν mediatorium dicitur[2]). Has propositiones nominant apoteleſmaticas, rem iis expressam κοινοποίησιν[3]), communicationem operationum[4]), et tales effectiones (operationes) actiones θεανδρικάς.

1) Alii hoc genus ponunt secundo loco. v. Form. Conc. et Chemnit.

2) 1 Cor. 15, 3. item χριστὸς ἐλυτρώσατο, ἐξιλάσατο, ἐξηγόρασεν. cf. Musaei prael. in F. C. p. 293.

3) Christus, qua Deus et homo. qua vtramque naturam fecit, duae naturae κοινῶς ἐποίησαν.

4) Hoc nomine malunt alii tertium genus appellare, quam communicationem idomatum.

An vsum magnopere habuerit habeatue studium hoc in classes dispescendi illas propositiones, praesertim cum tantopere fluctuatum sit in ea re, nolo interpretari. Ad exercitium religionis haec vsum habent nullum, et possunt ignorati a christianis. Fuisse theologos in hac re nimios, non dubito fateri. Et si vel maxime quis haec omnia in digitis enumerare possit: tamen ad extremum aeque ac ii, qui haec nesciunt, statuet, *Filium Dei, qui homo factus est, pro nobis passum et mortuum esse, et iam esse nostrum Dominum.* (v. LL. SS. p. 772. extr. 773. in.)

PARTIS QVARTAE
CAPITIS SECVNDI
SECTIO II.

De negotio, quod Seruator, his in terris versans, e Dei consilio et mandato peregit.

I.

Negotium, quod hic Iesus, idemque Dei Filius, peragere his in terris e consilio Patris sui debuit*), ipse saepe numero declarauit esse duplex: vnum, docendi homines; alterum, eorum causa morti se offerendi, eamque obeundi.

*) Appellauit τὸ ἔργον, ὃ δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ, ἵνα τελειώσῃ, τὰ ἔργα ἑαυτῷ δεδομένα, τὴν ἐντολὴν τοῦ πατρὸς, τὸ θέλημα τοῦ πατρός. Io. 4, 34. et 5, 36. et 10, 18. et 14, 31. Cf. p. 135. §. 4.

2. Docere non modo debuit communia, ad religionem pertinentia, et a V. T. prophetis tradita repetere[1]); sed inprimis V. T. doctrinam confirmare auctoritate Patris et sua[2]), et varie a variis doctoribus depravatam vindicare; rursus explicare primus vberius, singulari modo, consilium Dei, de salute, omnibus ac singulis hominibus destinata, et omnium generum gentiumque hominibus impertienda[3]): ostendere item, se illum

ipsum esse Seruatorem, nomine Messiae promissum[4]), per quem et propter quem impertiatur salus[5]), vltra huius vitae fines pertinens[6]): exponere nominatim liquido, ponendo et promittendo, homines a morte corporis superstites futuros, corpora in vitam reuersura esse, futuramque vitam fore ante actae vitae mercedem[7]): praedicere denique, post suam mortem suumque in vitam reditum euenturum, vt per omnes terras atque gentes sine discrimine religio vera propagaretur, et cultus Dei, qui sit animo, vnice valeret, sublatis institutis Iudaicis per interitum Hierosolymorum[8]).

1) Matth. 5, 17.
2) cf. proleg. Sect. 4. §. 13.
3) Io. 1, 15 — 19. et 17, 3. 4. Cf. p. 126. §. 6.
4) Io. 5, 39. et 17, 3. 1 Io. 5, 6. ὁ ἀληθών. ibid. v. 11. 12. 13. Cf. p. 134. §. 1.
5) Io. 3, 16. et 6, 40. et 6, 51. Matth. 20, 28.
6) Io. 8, 51. 52.
7) Matth. 10, 28. Io. 5, 24 sqq.
8) Matth. 21, 43. Luc. 13, 28. 29. Io. 4, 21 sqq. et 10, 16.

Propter vnum hoc negotium, non aliam vllam ob causam, nec alio vllo sensu, Christus in N. T. dicitur *propheta*. Luc. 4, 24. et 24, 19. Non enim hic quaeritur, quam multiplicem significatum verbum נביא per se habeat (v. supra p. 21.); sed quid significet in N. T.

ibi, vbi de Christo vsurpatur. (cf. Moshem. diss. ad hist. eccles. Vol. 2. p. 175.)

Hoc negotium vt Filius Dei administrare posset oretenus, homo factus est. (cf. Sect. 1. §. 4. et 12.)

Huic negotio inauguratus est per baptismum, seu per occasionem baptismi eius declaratum est, partim voce, eum esse illum Filium Dei, ideoque etiam audiendum, (Matth. 3, 17. Io. 1, 31.) partim adspectabili signo, coniunctum hunc cum Filio Dei hominem praeditum esse dotibus, ad docendum necessariis, diuinitus ipsi datis. (πνεῦμα Act. 10, 38. Io. 3, 34.) Vnde post baptismum demum fungi coepit hoc negotio, et quidquid post baptismum egit et docuit, id iubente, monente, auxiliante Deo agere dicitur. (ἐν πνεύματι Luc. 4, 1. 14. Matth. 12, 28.) cf. Danz de inauguratione Christi ad docendum: in Meuschen N. T. e Talmude illustrato. p. 306.

Huius negotii causa tot miracula patrauit, seque a Deo missum esse, et iuuante volenteque Deo docere, per ea comprobauit. Act. 2, 22.

3. Haec dum ita docuit, et quidem a Galilea *nominatim* exorsus, Iudaeos *nominatim*, (raro enim in viciniam paganorum venit)[1]) et circiter triennium *nominatim*; dum porro in docendo plane se adstrinxit normae Patris sui, proponendis his vtique, quae debuerat, et sic vtique, vt debuerat;[2]) *obediuit Patri suo*, h. e. fecit, quod facere debuit, et ita, vt debuit, eoque animo, qui plane suspensus fuit e voluntate Dei, suo arbitratui nihil indulgens, et ad omnia lubens ac promtus.

1) Matth. 15, 21.

2) Io. 4, 34. et 5, 30. et 12, 49. Cf. infra §. 7. et Disfertt. p. 315.

Haec obedientia vt multos nobis attulit fructus ad notitiam religionis, et consilii diuini de salute nostra: sic est exemplar imitandi in his, quae nobis proprie incumbunt, ob munus, vitae genus, nostramque conditionem, qua viuimus aliis iuncti.

4. Morti se offerre, eamque subire debuit propter hominum felicitatem[1]), hoc est *nominatim*,[2]) vt iis ob Christi mortem, respectu ad eius mortem, venia peccati contingeret. Nam dicitur illa mors, mors εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν[3]), dicuntur homines nacti esse veniam ob illam mortem[4]), dicitur illa mors, vt olim mors victimarum, mors ob peccata[5]), et peccantium liberandorum causa[6]) tolerata.

1) Io. 6, 51.
2) De aliis fructibus huius mortis v. §. 8.
3) Matth. 26, 28.
4) Ephes. 1, 7.
5) 1 Cor. 15, 3. Rom. 8, 3.
6) Rom. 5, 8. 9. Christus mortuus est ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν. Concluditur hinc: ergo absoluti sunt ob illam mortem, ergo et olim liberi miseria erunt. Inest igitur huic doctrinae: *mortis huius esse vim ad veniam*: hic sensus, eam conferre ad veniam, afferre his, qui peccarunt, liberationem, prodesse ad id, ne pereant, salubrem iis esse hanc mortem ad vacuitatem a miseria, et ad vsuram felicitatis.

Etiam alio in genere vsurpata haec formula, ἀποθνήσκειν ὑπέρ τινος, (veluti Rom. 5, 7. Io. 10, 11.) exprimit hoc: *vitam deponere alterius seruandi causa*, ne alteri male sit, vt liberetur alter malo. Quod ergo intelligitur vbiuis in hac formula, idem est intelligendum, cum de Christo vsurpatur, ἀπέθανεν ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν (sie zu retten, ne sint miseri, ἵνα μὴ ἀπόλωνται): nec potest negari, hac formula exprimi nexum mortis Christi et liberationis peccatorum a miseria, ita, vt conferat illa mors, valeat, vim habeat ad peccantium liberationem, siue ad veniam peccati.

5. Contingere hominibus veniam peccati, in vniuersum hunc sensum habet[1]): homines, qua peccarunt, eo ipso, quod veniam nanciscuntur, *liberari metu miseriae*, e peccato oriundae, *et miseria ipsa*, ideoque liberatos metu *spem habere*, et liberatos miseria *felicitate potiri*. Siue, venia peccati est partim detractio incommodi, e peccato oriundi (μὴ ἀπολέσθαι), partim adiunctio commodi (ζωὴν ἔχειν)[2]). Proinde venia peccati, nominatim ob mortem Christi tributa,[3]) etiam est liberatio a metu miseriae, peccato annexae, *potissimum futurae*, et ab ipsa miseria, *potissimum futura*[4]), ideoque conceptio spei[5]), et acceptio felicitatis, potissimum futurae[6]).

1) Constanter per omnes V. et N. T. libros sic dicuntur hae phrases: נָשָׂא אֶת עָוֹן, חָטָאָה אֶת סָלַח. Et Deus, qui dicitur sic se gerere erga hominem, eique condonare, dicitur לֹא שָׁמַר עָוֹן, לֹא הֶחֱזִיק אַפּוֹ, לֹא חָשַׁב לְאָדָם עָוֹן לָעַר, dicitur potius esse mi-

sericors, clemens, parcens, lubenter propitius. Michae. 7, 18 sqq. Pſ. 32, 1. 2. 5. Pſ. 103, 3. 4. Pſ. 130, 3. 4. Cf. Chaldaiſmum in phraſi ἀφίεναι τὰ ὀφειλήματα. vid. Buxtorf. Lex. Chald. in חוב et שבק). In quibus omnibus eſt partim detractio incommodi, peccato annexi, partim adiunctio commodi. v. Vitringae Obſ. Sacr. l. 4. c. 3. §. 5. et 9 — 13.

2) Ezech. 18, 21. 28. יחיה לא ימות v. Töllner vom thätigen Gehorſam Chriſti. p. 475. 483. *Detractio incommodi* eſt forma (eſſentiale notionis) veniae: *adiunctio commodi* eſt annexa res.

3) Matth. 26, 28. Epheſ. 1, 7. et 4, 32. Col. 2, 13. Io. 1, 29. 1 Petr. 2, 24. Ieſ. 53, 5.

4 Rom. 5, 9. 10.

5) Rom. 5, 1. 2. Epheſ. 3, 12.

6) Io. 3, 16. Cf. locus de fide et iuſtif. §. 8. 9.

6. Cauſa quidem, quare hominibus peccata condonentur, proprie eſt, *quia Deus eos amat*, eorum miſeretur, *iis condonare vult*[1]). Cum autem Deus non ſimpliciter, ſed certo modo et ordine condonare velit[2]): non attinet, demonſtrare (a priori), eum non poſſe condonare[3]), niſi quid interceſſerit[4]). Sufficit, Deum inſtituiſſe ſic, vt, interueniente morte Chriſti, et reſpectu ad hanc mortem[5]), promitteretur venia et acciperetur: nos autem animaduertere (a poſteriori) poſſe, Deum hoc ſapienter, benigne, ſancte inſtituiſſe. Id vero, quatenus e SSa iudicare licet[6]), ſic inſtituit Deus duplici potiſſimum conſilio: *partim*, *vt*, *re in*

facto posita, morte Christi, quae volente Deo a Christo propter peccatores oppetita est, declararet *testatumque faceret Deus, se*, penes quem vnum est condonare, se ergo *velle condonare*[7]), *et re ipsa condonare*, ideoque se *homines haud dubie amare*[8]): [id quod homines certissimos reddere de aeterna Dei voluntate condonandi debet][9]): *partim*, *vt*, quia constanter docetur, hanc in facto positam rem, mortem Christi, eamque praeter modum aerumnosam, peccantium liberandorum causa toleratam esse, *liceret*, docente et permittente Deo[10]), *hominibus*, *spectare hanc huius mortis*, ab insonti sponte et amanter toleratae, *miseriam et aerumnas*, *vt sibi destinatas*, *sibi salubres*[11]), *nec* homines, intuentes miseriam illam Christi et mortem, pro ipsis ab alio toleratam, *sibimet ipsis metuerent miseriam post hanc vitam*: [id quod eos solatio indubitato replere debet, non posse aut debere se miseros esse, quia alius propter ipsos, ipsorum causa, in ipsorum emolumentum, tam miser fuit].

1) Exod. 34, 6. 7. Ioel. 2, 13. Dan. 9, 18. Ezech. 2, 4. Ephes. 2, 4. 5.

2) vid. Schol. B. et C.

3) h. e. per eius naturam ἀδύνατον esse, scilicet, ne, si nihil intercesserit, videatur Deus parum tueri bonum morale, parum discernere bonum et ma-

lum, parum sanctus esse. Haec possunt commode et vtiliter explicari: demonstrationem *necessitatis* ad euidentiam vsque non continent. v. Crusii Plan des Reichs Gott. p. 121. no. 2.

4) v. c. exemplum poenae, editum in Christo, exemplum adspectabile iudicii diuini de peccati culpa et damno, satisfactio praestanda, tamquam laeso, restituendi iuris causa. vid. Appendix §. 4. Francisci Turretini disputationes de satisfactione Christi. Geneuae 1666. 4. Seiler über den Versohnungstod Christi.

5) Homo, impetraturus veniam, respicere ad hanc mortem debet, nec exspectare aut quaerere veniam debet, nullo ad hanc mortem respectu, ea penitus repudiata, aut alio quodam respectu, quem ipse malit praeferre illi morti, aut ei substituere.

6) Ceterae omnes sententiae de consilio, quo sit ita institutum, postponendae sunt declarationi SSae. cf. Griesbachs populäre Dogmatik. §. 145.

7) Rom. 3, 25. ἐνεδείξατο τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, *ostendit, declarauit, se esse, qui absoluere velit, absoluatque.* Ergo discí hinc debet, eumdem illum, *qui iustus est, tamen etiam* velle condonare, et reuera *condonare.* ibid. v. 26.

8) Rom. 5, 8. 1 Io. 4, 9. 10.

9) Quam certo per historiam constat, et est factum ὁμολογούμενον, atque extra omnem dubitationem positum, Iesum esse interemtum: tam certo constare debet illud, eum propter peccatores esse interemtum, tam certo et illud, Deum, qui hoc fieri voluit, fauere peccatoribus ipso facto, consulere eorum saluti re et facto, re et facto eam procurare et adiuuare.

10) Dum docetur hoc, dum promittitur fructus huius mortis: permittitur hominibus, rem illam sic spectare, vti docendo describitur: atque adeo postulatur, vt eam sic spectent (ἵνα πιστεύσωσι.)

11) Iesaj. 53, 5. et omnes loci, vbi legitur, ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε.

Scholia

de variis modis idem illud dogma proponendi.

A. Christum, quoad mortem ob peccatorum veniam tolerauit, scriptores N. T. varie comparant cum victima piaculari. Nam partim aut Christum ipsum[1]), quoad interfectus est ob peccati veniam[2]), aut eius corpus interfectum[3]), appellant victimam, eumque proinde tulisse peccata[4]) dicunt: partim eum nominant sacerdotem summum[5]), sacrificantem, qualis apud Iudaeos solemni die piaculari fuit, expiatorem[6]) totius populi. Ergo *Christus victima*, aut offerens victimam *sacerdos*, *est* proprie, et si dogmatice exprimatur, *moriens ob peccati veniam.*

1) Io. 1, 29. 1 Petr. 1, 19. 2 Cor. 5, 21. ἁμαρτία *victima piacularis.*

2) Alio respectu nullo eum nominant victimam, v. ll. cc. praesertim Petrinum, vbi est αἷμα ἀμνοῦ, et integram epistolam ad Ebraeos. Cf. Storr über den Brief an die Ebräer. p. 482.

3) Ebr. 10, 10.

4) Io. 1, 29. *Victima* vero *fert peccata*, vt onus in se ab alio deuolutum, sibi impositum, *dum* damnum fert ob peccata, seu mactatur, *vita privatur per cruentam mortem*, eius sanguis effunditur. Leuit. 4 et 14 et 16. Ebr. 9, 28. 1 Petr. 2, 24. Iesaj. 53, 4. 10. 11.

5) v. ep. ad Ebr. vbi illud, *Christus victimam piacularem obtulit* (10, 12), aut, *sacrificium pro peccatis fecit*, constanter sic explicatur, *morti se tradidit.* (7, 27). [Alio sensu nullo Christus in libris N. T. *simpliciter* appellatur sacerdos, etsi vocabulum כהן *per se* latius dicitur. Sed hic quaeritur, quid *nunc* sit.] De *summo* sacerdote vid. Ebr. 2, 17. et 5, 1. Non enim Christus comparatur cum sacerdotibus ceteris, qui saepe pro singulis victimas piaculares solebant offerre (Leuit. 4. Numer. 15): sed confertur cum summo sacerdote, et quidem semel quotannis, mactanda victima et ingressu adyti, *expiante totum populum* (Leuit. 16.)

B. *Expiare*, iuxta Mosaicam legem et vsum loquendi Iudaeorum est, administrare rem in facto positam, a Deo praescriptam, (non tam Dei causa, quam hominum,) ritum certum, vt constitutam conditionem veniae[1]): de qua venia certus esse potest is, qui praescripta conditione vsus est. Ea res solemni die piaculari nominatim erat *mactatio victimae*, (quae adspectabili modo declarare debebat,[2]) peccantem esse dignum morte et miseria, peccatumque esse noxium, sed liberari hominem damno peccati (et *importatio sanguinis in adytum* ad solium legislatoris per summum sacerdotem, (quae declarabat, satisfactum esse legislatoris voluntati, consummatam esse expiationem, veniam proprie apud Deum quaerendam esse, ideoque paratam potestatem appropinquan-

di Deo, cogitandi et inuocandi Deum, vt propitium, Deum illum, penes quem vnum solum est condonare).

1) Cf. programma 4. de notitia religionis copulata cum rebus in facto positis, in diss. Vol. II. p. 76.

2) Ebr. 10, 3. fit ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν.

C. Ergo, *Iesus expiauit homines, seu peccata hominum*, significat, fecit, quod a Deo constitutum fuit, vt conditio veniae, (h. e. *morti se obtulit*: nam id constituerat Deus fieri debere, vt conditionem promittendi accipiendique veniam) et deinde ad Deum abiit, (sanguinem in caelum intulit, Ebr. 8, 3. et 9, 12.), in caelum adscendit, vt haec etiam re in facto posita, abitu in caelum ad summam dignitatem, declararetur, satisfactum esse voluntati legislatoris, expiationem consummatam esse, iamque paratam potestatem appropinquandi Deo, cogitandi inuocandique Deum, vt propitium, Deum illum, qui vnus solus potest condonare. Ita mors et adscensus in caelum sunt *res in facto positae*: notatio consilii et fructus (*expiatio* erat, eaque *consummata*) est *dogma de rebus in facto positis*. Hoc dogma per comparationem cum sacerdote summo expiante proponitur.

D. Eadem epistola ad Ebraeos[1]) Christum, cum Melchisedeco comparatum,

etiam nominat *aeternum* sacerdotem, idque explicat hoc modo: nec opus esse, vt hoc sacrificium post Christum denuo offeratur[2]), aut denuo in adytum intretur; nec offerri ab vllo alio[3]), intrarique adytum; nec repeti ab ipso sacrificium et ingressum adyti[4]): sed *Christum*, postquam sacrificauit et caelum intrauit, vnum *esse et manere in aeternum* eumdem, qui in his terris fuit tum, cum sacrificauit, hoc est, *Seruatorem*, siue eum, per quem expiati sumus[5]), ὃς εἰς τὸ παντελὲς δύναται σώζειν[6]). Ergo non ob continuationem actus sacrificandi (moriendi), et intrandi adytum (sanguinem in caelum inferendi); sed ob continuationem valoris, cum sacrificii, tum ingressus in adytum, dicitur aeternus sacerdos.

1) Ebr. 5, 6. et 6, 20. et 7, 3. 23 sqq. Comparatio cum Melchisedeco indicat partim aeternitatem sacerdotii, partim eum neque e tribu Leuitica ortum esse, neque Leuiticum sacerdotium habuisse. Ebr. 7, 3, 11 sqq.

2) ibid. v. 27.

3) Ebr. 7, 23. Hoc est ergo idem illud dogma, quod Act. 4, 12. exstat, ἐπ ἔστιν ἄλλος σωτήρ.

4) Ebr. 9, 24 sqq.

5) Ebr. 9, 12. αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος.

6) Ebr. 7, 25. Hoc est ergo idem dogma, quod Ebr. 5, 9. legitur. Ceterum cf. praef. vers. Germ. ep. ad Ebr. p. IV — XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0188
DFG

E. Eadem doctrina, Iesum mortuum esse ob peccati veniam, ibi quoque intelligitur, vbi Iesus nominatur *mediator* (μεσίτης, ἔγγυος) Dei hominumque (1 Tim. 2, 5), et *mediator noui foederis*, a Deo cum hominibus facti (Ebr. 7, 22. et 8, 6. et 12, 24). Eum vero tum, cum sic nominatur, spectari eatenus, quatenus mortem subiit, sic intelligi potest.

a) in epistola ad Ebraeos (12, 24. et 13, 20. et 9, 8 sqq.) mentio mortis Christi, siue sanguinis ab eo fusi, copulatur cum mediatoris foederisque mentione.

b) in pr. ep. ad Timotheum (2, 5.) character mediatoris Christi additur: *qui se nobis exhibuit liberatorem.* Atqui vita deponenda liberator nobis exstitit. (cf. Matth. 20, 28.)

c) alibi sanguis Christi dicitur sanguis foederis noui Matth. 26, 28. Luc. 22, 20). Si ergo foedus novum factum est sanguine Christi, et si Christus est mediator noui foederis: necesse est, vt sit mediator eius, qua mortem cruentam pertulit, seu sanguinem fudit.

d) non confertur Christus cum Mose mediatore, quatenus Moses interpres Dei ad populum fuit (Deut. 5, 5.); sed quatenus sanguine inaugurauit foedus. (Ebr. 9, 18 sqq. Exod. 24, 4 sqq.)

F. Facere foedus sanguine, significat, sancire foedus sanguinis effusione, h. e. fundere sanguinem, vt, hoc ita peracto, foedus ratum sit et valeat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0189
DFG

G. Foedus Dei cum hominibus, est, promissio bonorum cum conditione. Hinc foedus nouum facere, significat, promittere alia bona, cum alia conditione, aliis hominibus. Olim Deus promiserat *a)* nationi Iudaicae, *b)* bona huic nationi proprie destinata, *c)* si Mosaicam legem obseruarent. Nunc promittit *a)* omnibus nationibus, *b)* veniam peccati felicitatemque sempiternam, *c)* si πιστεύσωσι.

H. Ergo, *Iesus* est *mediator noui foederis*, aut, sanguis Iesus sanxit nouum foedus, significat: Iesus mortem cruentam pertulit, vt ab eo tempore, quo eam pertulit, locum haberet*) haec res: Deus omnium nationum hominibus πιστεύσι veniam et sempiternam felicitatem tribuit.

*) h. e. vt innotesceret, vti dudum promissum fuerat: vt fieret, vti ab aeterno decretum fuerat: vt efficeretur, porro promitteretur, atque praestaretur.

---

7. Hanc mortem, annexamque ei miseriam omnem, dum Christus pertulit, dum sponte[1], atque Patris hominumque amore doctus[2]) pertulit, dum patientissimus[3]) ac nihil eorum, quae voluerat fieri curaueratque praedici Deus[4]), praetermittens pertulit, suisque optatis ac sensibus restitit[5]), dum

dum ita, Dei Filius, longe infra ſuam dignitatem ſe demittere, idemque homo, ſingulari honore ornatus, (vtpote coniunctus cum Dei Filio) infimam conditionem et ignominiam[6]) ſubire non detrectauit, dicitur *obediuiſſe Patri*[7]), cum facto, tum animi ſenſu[8]).

1) Io. 10, 18.
2) Io. 14, 31. et 10, 11. 14. 15. et 15, 13. 1 Io. 3, 16.
3) 1 Petr. 2, 22. 23. Ebr. 4, 15. χωρὶς ἁμαρτίας ἐπειρά$θη$, *adſtictus nihil peccauit*, miſeriis non abreptus eſt ad peccandum.
4) Luc. 22, 37. 42.
5) Matth. 26, 39.
6) Ebr. 12, 2. 2 Cor. 8, 9.
7) Phil. 2, 8. Ebr. 5, 8. *expertus eſt, quid hoc ſit, obedire alteri*, quam dura ſors ſit ſubeunda tum, cum quis obedit.
8) Ebr. 10, 7. 9. Sciens, Deum non tam externo cultu, quam apertis ad audiendum auribus, *mentis obedientia*, delectari, voluit ipſe talem ſe erga Deum gerere, et declarauit. En adſum, facturus, quod voluerat fieri Deus. Voluerat autem a Filio mortem ſuſcipi. Obiens ergo hic mortem, ἐποίησε τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, *obediuit*.

Si §. 3. et §. 7. conferantur, obedientia Chriſti ſic deſcribi poterit: *peractio eorum, quae peragere debuit, et in peragendo ſumma virtus.*

[Cf. Diſſertatt. p. 308. Appendix huius ſect. §. 4. aliam obedientiae deſcriptionem tradit. Locum de obedientia Chriſti late, ſed certo tantum reſpectu, tractauit Töllnerus, Vom thätigen Gehorſam Chriſti. Vratislav. 1768.]

8. Sed huius mortis alia quoque consilia aliique fructus commemorantur. Scilicet debuit nobis esse exemplum amoris erga alios, et eius quidem amoris, qui vel cum incommodo et damno suo aliis inseruire, seque iis posthabere non recusat[1]): debuit nobis praebere argumentum vitandi peccata, vt rem noxiam, et veniae indigos homines reddentem[2]): debuit finem facere et poenis, Mosaica lege constitutis[3]), et modis earum amoliendarum luendo[4]); hisque finiendis declarare, solutos esse homines necessitate tot legum obseruandarum[5]), tot nominatim expiationum repetendarum de anno in annum, abolitamque esse oeconomiam Mosaicam, temporaria religionis elementa continentem[6]); hac autem sublata pandere viam communi omnium nationum religioni[7]), eidemque perfectiori[8]). In omnibus autem his consiliis cogitatione prius est consilium moriendi ob peccati veniam, quo posito, cetera inde concluduntur. Vnde consilium hoc, quippe prius semper cogitatione, et principium concludendi, est palmarium.

1) Io. 13, 34. et 15, 12. 13. 1 Io. 3, 16.
2) Gal. 1, 4. Tit. 2, 14. Rom. 8, 3. 4. 2 Cor. 5, 18—21. et 6, 1. 2.
3) Gal. 3, 10 sqq.
4) αἱματεκχυσίαις potissimum Ebr. 9, 22.

5) Rom. 7, 4. Ephes. 2, 14. 15. Col. 2, 14. 15.
6) Gal. 4, 3.
7) Ephes. 2, 16 sqq. Rom. 3, 29. 30. Phil. 3, 3 sqq. Io. 11, 52.
8) Gal. 3, 3 sqq. et 4. 9. Ebr. 9, 9 sqq. et 10, 1.

9. Saepe Paulus dicit, Deum Patrem homines per Christum sibi reconciliasse (καταλλάξαι)[1]: et ita de hac re loquitur, vt constanter Deum Patrem (non vero, nisi vno in loco[2]), Christum) appellet κατ' ἐξοχήν et proprie τὸν καταλλάσσοντα: vt homines (non vero Deum aut peccata) dicat καταλλαγῆναι τῷ Θεῷ: vt τὴν καταλλαγὴν appellet insignis amoris documentum in facto positum, beneficium[3]), quod Deus Pater per Christum exhibuit: vt nominet amorem et beneficium, exhibitum τοῖς ἐχθροῖς[4]), ne sibi porro metuerent ab eo, quamquam ἐχθροὶ αὐτῷ[5]), et vt desinerent esse ἐχθροὶ αὐτῷ[6]).

1) Omnino καταλλάσσειν τινὰ ἑαυτῷ est, *efficere, restituere amicitiam cum aliquo.*
2) Ephes. 2, 16. Nempe Pater instituit; Christus perfecit id, quod Pater instituit.
3) Rom. 5, 8. 2 Cor. 6, 1. 2.
4) Hoc perspicue describitur Rom. 5, 5 — 11. Coloss. 1, 20 — 22. Sunt aduersati Deo aduersantesque, animum erga Deum habentes inimicum et obnitentem, et animum hunc declarantes praue factis, ideoque vacui spe, habentes proprie, quod sibi metuant,

5) Rom. 5, 10. 11.
6) 2 Cor. 6, 1.

10. Dum autem Paulus Deum Patrem per Christum homines sibi reconciliasse dicit, illud, *per Christum*, ita porro describit, Deum sibi homines reconciliasse *per mortem Christi*[1]): quippe quam a Christo tolerari voluerit consilio et fructu condonandi[2]), animosque hominum ἐχθρῶν per hanc sibi reconciliandi: et reconciliasse eo nominatim, quod post hanc mortem toleratam non imputet hominibus peccata[3]); et reconciliationem declarauerit, de hac re eos edocendos curauerit[4]).

1) Rom. 5, 10. Col. 1, 20—22. Hinc explicandum 2 Cor. 5, 19.
2) 2 Cor. 5, 21. ἵνα γενώμεθα δίκαιοι. Rom. 5, 8. Vnde Rom. 5, 9. 10. καταλλαγέντες et δικαιωθέντες (absoluti), vt connexa, (fluit enim vnum ex altero) permutantur.
3) 2 Cor. 5, 19.
4) ibid.

11. Ergo haec hominum cum Deo reconciliatio (καταλλαγὴ), quam Deus Pater effecit, est institutus ab eo hic *modus procurandae veniae* per mortem Christi, et voluntatis condonandi testificatio per eamdem illam mortem: vna cum *declaratione huius beneficii per doctrinam*, terrarum orbi imperti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0194
DFG

tam: siue, est *effectio amicitiae* inter se et homines per mortem Christi, et *annuntiatio effectae amicitiae*. (Haec est reconciliatio ex parte Dei.) Quare non est, quod sibi homines metuant a Deo[1]), etsi ei aduersati sunt animo et vita; sed est, quare sperent: est vero etiam, quare desinant ei aduersari[2]). (Haec est reconciliatio ex parte hominum). Quippe Deus sponte, prior obtulit procurauitque beneficium, praeuenit aduersantes sibi, lucrarique voluit, spectavit hoc, ne sibi metuerent homines, et vt desinerent aduersari Deo[3]).

1) Sic effecti sunt amici. Metuentes facti sunt nil metuentes, sed sperantes.

2) Sic quoque effecti sunt amici: immorigeri facti sunt morigeri.

3) Hoc paratum docendoque oblatum beneficium, hanc amicitiam qui admittunt, sinunt se reconciliari Deo. 2 Cor. 5, 20.

Ergo hic modus cogitandi gratiam Dei salutarem differt a modo cogitandi hanc gratiam illo, cum Christus nominatur ὁ ἱλασμὸς τὰς ἁμαρτίας. Numquam enim Deus Pater dicitur expiator, vt numquam dicitur sacerdos; sed Christus dicitur ita. Καταλλαγὴ facta est per ἱλασμὸν, et ἱλασμὸς est modus efficiendi καταλλαγήν. Fortasse igitur melius fuerit, non eodem verbo vernaculo (*versöhnen*) vertere vtrumque Graecum, ἱλάσκεσθαι et καταλλάσσειν, sed καταλλαγὴν sic potius exprimere, *Wiederherstellung der Freundschaft*, *Veranstaltung dazu*, et καταλλάσσειν, *Einigkeit*, *gutes Verneh-*

men einführen, praesertim cum Deus καταλλάξας Col. 1, 20. explicandi causa dicatur εἰρηνοποιήσας. (Cf. Programma 5. de notitia religionis, in dissertt. Vol. II. p. 97. sq. et de notione καταλλαγῆς Storr über den Brief an die Hebräer. p. 406 sqq.)

APPENDIX

de vocabulo satisfactionis, de diuisione obedientiae Christi, et nomine meriti Christi, atque statu exinanitionis.

1. In doctrinam de morte Christi, ob peccatorum veniam tolerata, receptum est subinde vocabulum *satisfactionis*, (Christum satisfeciſſe Deo) quod in SSa ipsum non legitur.

Declararunt autem multi, se, vtentes eo, docere idem, quod in SSa his verbis docetur, Iesum soluisse Deo sufficiens λύτρον pro peccatis hominum[1]): se exprimere hoc verbo idem, quod in SSa his variis verbis exprimitur, λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, ἐξαγορασμός[2]): se vti satisfactionis verbo nominatim, ad exprimendam certam speciem certumque modum liberandi a certo malo, seu certam speciem ἀπολυτρώσεως, quia ceteri aeque vtantur verbis ἀπολυτρώσεως et ἐξαγορασμῷ, [quae per se et omnino late patent, variosque modos liberandi a variis malis indicant[3])] sed longe alias notiones propter πολυσημίαν cum iis coniungant. Hoc de vi verbi scire, et tradere, et ita verbum ecclesiasticum cum verbis Apostolorum comparare, neque in illo plus quaerere, quam est in his, in populari institutione sufficit.

1) Matth. 20, 28. (*Rettungs- Befreyungsmittel.*) Vid. Gerhardi Loc. theol. T. 1. p. 189. et Exegesis Tomi 1. p. 535.

2) Matth. 20, 28. 1 Tim. 2, 6. Ephes. 1, 7. Ebr. 9, 12. Gal. 3, 13.
3) Gal. 1, 4. Luc. 1, 68. 1 Petr. 1, 18.

2. Ergo satisfactionis verbum, si id respondere illis SSae verbis, de certa specie et modo liberationis positis, volumus, *strictiore sensu* indicat mortem et passionem Christi, toleratam pro hominibus ob peccati veniam*): nam haec mors, hic modus liberandi ab hoc malo, intelligitur in SSa, vbi λύτρον, et ἀντίλυτρον dicitur: intelligitur interdum et ibi, vbi ἀπολύτρωσις et ἐξαγορασμὸς occurrunt. Haec res cum doceatur in SSa diserte, vt supra (§. 4. 5.) multis exposui: non apparet, quare ecclesiasticum vocabulum, eamdem rem exprimens, repudietur, etsi non ipsum exstat in SSa.

*) Vid. Baieri theol. pos. p. 548. Neumanni aphorism. p. 385 sqq. Scherzeri Colleg. Antisocin. p. 474. sqq.

3. Ex hac doctrina, hoc vocabulo expressa, concludunt libri nostri symbolici*), non opus esse, praeter mortem Christi, aliis nostris satisfactionibus et luitionibus ad amoliendam peccati poenam, (quasi Christus pro culpa tantum satis fecerit) aut adeo miseriam sempiternam, et ad promerendam

salutem. Quod et ipsum plane consentaneum est SSae, et in populari institutione vrgendum.

*) Pag. 25. 184. 190. 192.

4. *Latius* tamen plerique vim huius verbi *extenderunt*, vrgentes, ac sensu fere forensi et iuris ciuilis capientes potissimum illud *satis*[1]), et expresserunt eo has res[2]): Iesum Deo iusto et sancto satisfeciisse, feciisse et tulisse, quod Deus iustus et sanctus ab hominibus postulabat, siue, Iesum *partim* obseruasse sponte legem moralem, quam homines non obseruant, vt homines, etsi non penitus eam obseruantes, tamen potirentur salute[3]), quoad inest in adiunctione bonorum: *partim* poenam peccati, mortem[4]), tulisse, vt homines, etsi non vacui plane peccatis, potirentur salute, quoad inest in vacuitate a malis, siue vt sempiterna peccati miseria aut poena liberarentur[5]). Imputari ergo a Deo hominibus iustitiam Christi[6]) (virtutem perfectam Christi aeque ac insontem et immeritam eius mortem), ad ipsorum iustitiam, siue prodesse iis ad liberationem a miseria (poena), et ad possessionem felicitatis, diuino beneficio. Sic ampliore ambitu descriptam satisfactionem, i. e. constantem agendo et tolerando siue patiendo, nomi-

nant vicariam, vel, vt aliquo loco libri symbolici 7) exprimunt, nostra causa praestitam 8).

1) Video, a variis scriptoribus tripliciter illud *satis* variari: vt sit *vel*, Christus fecit satis consilio Dei, fecit id omne et tantum, quod et quantum e consilio Patris, quo missus est Filius, facere debuit: *vel*, fecit satis ad liberandos nos, et a culpa, et a poena (§. 2): *vel*, fecit satis postulatis iustitiae et sanctitatis Dei.

2) Cf. Buddei instit. theol. dogm. p. 1118.

3) Hoc non legitur in his locis: Matth. 3, 15. et 5, 17. Rom. 8, 4. et 10, 4. Gal. 4, 4. De alio loco, Rom. 5, 19. cf. P. 3. cap. 2. coroll. 2. p. 114.

4) Hanc vnam nomino: nam sic Iesaias (53, 4. 5. 6. 10.) de poena peccati Christo immissa loquitur: sic Apostoli loquuntur, comparantes *morientem* Christum cum victima *moriente*, et *sic ferente poenam* peccati. (cf. supra schol. A.)

Aliarum poenarum peccati, a Christo toleratarum, mentio non fit in SSa. Ergo non admiscuerim quaestionem, an infernales etiam poenas (ipsum illud genus miseriae, quod damnati ferre debent) pertulerit? Nam SSa hoc nuspiam *diserte* docet, et vix intelligi potest, quid hoc sit: nisi per comparationem dicatur (Buddei theol. dogm. p. 1075), aut cum Melanchthone (Loc. theol. p. 34.) laxius exprimatur, *sensit iram Dei aduersus peccata generis humani* (cf. Heilmanni th. dogm. §. 255.) Nec admiscuerim spinosas quaestiones, quo gradu et ambitu peccatorum poenas pertulerit?

5) Hanc satisfactionis aut expiationis, duabus partibus constantis, descriptionem probauit Form. Conc. p. 684. 596. (vid. Musaei prael. in F. C. p. 154. Heilmanni theol. dogm. §. 250. Gerhard. ll. cc. supra ad §. 1. append. Hunnii epitome credendorum §. 46. et 408 sqq.) Contra haec disputauit

Töllnerus integro libro (vom thätigen Gehorsam Christi) eatenus, vt moralis legis obseruationem negaret esse partem satisfactionis.

6) Formulam duxerunt ex Rom. 4, 6. 11. it. Phil. 3, 9.

7) Pag. 684. 685.

8) Quo autem sensu *satisfactio* actiua et passiua accipitur, eodem sensu *obedientiae* actiuae et passiuae notio constituitur. Sunt igitur satisfactio et obedientia Christi in systemate theologico synonyma. v. Gerh. et Budd. ll. cc. Neumanni aphor. p. 480. Scherzeri disputt. theolog. no. X. Recentiorum definitiones varias perspicue recensuit Töllnerus (vom thätigen Gehorsam Christi. p. 19).

Fortasse vero (liceat enim hoc adspergere, non studio oppugnandi, quod approbatum est in libro publico, sed admonendi) vestigia SSae prestius legerimus, si non tam virtutem Christi perfectam, legisque moralis et omnium officiorum obseruationem, qualem *omni vita* inde a puero cumulate, et citra vllam dubitationem, demonstrauit, (propter quam tamen non κατ' ἐξοχὴν ὑπακόων τῷ Θεῷ, sed ἅγιος, καθαρὸς, ἄχ ἁμαρτωλὸς appellatur), si ergo non hanc consideremus, vt rem, per quam locum nostrum tenere voluit, et vt fundamentum alterum futurae felicitatis, i. e. causam accipiendi bona, quasi illa omnis virtus et illa omnia officia essent a nobis praestita; quam si potius illam tantum virtutem spectemus, quam, suscipiens in se et *exsequens totum negotium salutis*, nominatim vero *patiens* et *moriens*, abunde declarauit, (höchst tugendhafte Vollendung des ihm von Gott aufgetragnen ganzen Werkes, also auch des Leidens und Sterbens) atque si hanc virtutem promtam, hanc obedientiam in his non detrectandis, cum ipsa passione et morte coniungamus, (vt reuera fuit haec virtus et obedientia coniuncta cum passione et morte, omninoque omni, quod peregit, opere sibi demandato;) et

Christum hoc sensu dicamus obediuisse aut satisfeciisse Deo, *quia*, vt voluerat Deus, operis suscepti peragendi causa nominatim *passus et mortuus est plane* ὑπακόων τῷ Θεῷ, *plane ei se submittens, summa cum virtute et obedientia*, vt hoc nominatim prodesset hominibus, ad peccati veniam nominatim et salutem, et vt homines propter haec, *ipsorum causa et vice tolerata*, sibimet ipsi sua ob peccata non metuerent miseriam, eaque revera liberarentur. Doctrina supra fuit exposita verbis et propositionibus ipsius SSae: nunc de vocabuli ecclesiastici (satisfactio) vi, quo sensu proxime accederet ad ideam vocabulorum biblicorum, λύτρα, ἐξαγορασμός, ἀπολυτρώσεως, ἱλασμός, sermo erat, et de quaestione, quam late spectanda sit virtus (obedientia cum factis coniuncta) Christi, sitne omnis omnino, vllo modo ab eo per omnem vitam exhibita, intelligenda per se, an *ea, quae in peragendo opere se exseruit, connexa cum hoc ipso opere*. vid. supra §. 37. et Dissertt. p. 325. vbi plures scriptores nominantur. Totus etiam liber Töllnerianus huic rei destinatus est.

Si minus consentitur ab omnibus in methodo rei tractandae, et ambitu verborum vsurpandorum: (est autem multiplex varietas alia, quam enarrare nunc non opus est:) at in eo tamen consentitur, Christum omnia peregisse insigni cum virtute, quae ad eius ἔργον pertinebant, et nominatim mortem, partem sui ἔργου, insigni cum virtute pertulisse. Hoc qui defendit, ὁ χριστὸς ὑπακόων τῷ πατρὶ ἀπέθανεν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, is in methodo, et vsu vocabulorum strictiore aut latiore, non cogendus est alios vtique sequi.

5. Receperunt doctores Latini etiam hoc nomen, *Meritum Christi*, idque ita describunt, constare eo, *quod Christus nobis sua morte veniam peccati aeternamque salutem adquisiuerit*: non quo iam nobis a Deo vtique

illud debeatur, nosque id, quodam quasi iure nostro, flagitare ab eo veluti debitam rem mercedemque possimus; (manet enim et est semper χάρις, ex instituto Dei sponte nobis exhibita hoc nexu cum morte Christi;) sed, vt meritum alicuius Latine significat bene ab eo factum, pro quo alii gratias ei debent, ita, meritum Christi dicentes κατ' ἐξοχήν cum Latinis, intelligemus, *nos acceptam referre eius morti veniam salutemque*, (wir verdanken seinem Tode diese Wohlthaten), nos potiri his bonis ob id, quod ipse mortem obiit.

Ceterum verbum hoc, *meritum*, in hoc vno Christi beneficio, eius morte, vsurpari solet, et ita factum est proprium ac dogmaticum. Quem morem, in dogmaticis saltem, tenendum puto, ne methodo adsueti homines, extensa amplius vi verbi, et multifariis meritis Christi recitandis, in discendo perturbentur: etiamsi per se dici possunt multa esse Christi merita de genere humano, et ille multis beneficiis optime de nobis meritus est.

6. Ratio vitae Iesu Christi, quam inde a natalibus ad mortem vsque vixit, nominatur in scholis conditio eius humilis, seu status exinanitionis[1]. Is status in scholis vel describitur historice, partibus eius recensendis[2]), (quas partes appellant gradus): vel definitur dogmatice notione communi[3]). Res ipsae, (etsi non hoc vocabulo, *humilitas*,

expressae, et omnes in hoc compactae,) supra sunt expositae.

1) Verba haec, *humilis*, *exinanitus*, e Phil. 2, 7. 8. ducta sunt. Κενὸν αὐτὸν est, *tenuem se reddere*, *tenuem se gerere* (sich herab setzen); et Paulus mentem suam explicat satis, Christum se gessisse tenuem, eo quod, etsi aequalis Deo, voluit tamen homo hominumque similis fieri, ministrum (δοῦλον) se gerere, et, cum ita hoc fieri Deus Pater vellet, vltimam suscepit aerumnam, (ταπεινὸν ἑαυτὸν Hebraeis est, *adiungere sibi incommoda*, *suscipere aerumnam*) plane vti voluerat Deus. Ergo *reddendo se tenuem*, et *aerumnas suscipiendo*, sic se gessit, vt si non esset aequalis Deo. Atque si consilium Pauli h. l. spectetur, vult Christum exemplum animi demissi, obedientis et submittentis se Deo, intuendum exhibere.

2) Recensent has, humilia in eius natalibus et educatione et vita, passionem, crucis supplicium, mortem, sepulturam. Has periodos humilis vitae Christi qui enarrat ordine, et dogmatibus addendis tractat, is tractat locum de statu exinanitionis.

3) Ea aut sic exprimitur: vsus non plenus, non perfectus omnium attributorum diuinorum Christi: aut sic: abstinentia ab vsu diuinitatis, et susceptio humanae conditionis atque aerumnarum. (v. Heilmanni compend. dogm. §. 233 sqq.)

De recentioribus Giessensium et Tubingensium inutilibus controuersiis, huc referendis, v. Walchius (Einleitung in die Religionsstreitigk. Vol. 1. p. 206). Paucis attigit Musaeus in prael. in F. C. p. 302 sqq.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0203
DFG

PARTIS QVARTAE CAPITIS SECVNDI SECTIO III.

De negotio, quod Seruator, reuersus in vitam, iam Dominus noster, e consilio Dei peragit.

1.

Postquam Iesus Christus consilio Dei, quo his in terris versatus est, satisfecerat, et hunc, de quo paulo ante diximus, finem vitae habuerat: est a Deo Patre*) intra triduum vitae redditus.

*) 1 Cor. 6, 14. 1 Cor. 15, 4. Ebr. 13, 20.

2. Hoc ita reuera euenisse, narrationesque N. T. de Iesu rediuiuo, atque cum suis, iisque haud paucis[1]), varie versato, fide dignas esse, tam diu defendemus, donec contrarium erit idoneis argumentis historicis[2]) comprobatum, aut testes eius rei indubitatae conuicti erunt mendaciorum[3]). Defendemus autem tanto magis, quanto certius est, propaganda doctrina christiana longam seriem euentuum, inde a seculo primo vsque ad hunc diem, deinceps citra vllam dubitationem decurrisse, qui euentus omnes

e reditu Christi in vitam nexi sunt, et cum eo cohaerent.

1) 1 Cor. 15, 5 sqq.

2) Negare, dubitare, difficultates mouere, res in facto positas non reddit infectas.

3) Dissensus eorum in meris περισσοῖς fortuitis non arguit fraudis consensum manifestum in summa rei, h. e. in eo, Christum reuixisse, et pluribus se varie conspiciendum praebuisse, cum iisque humano ritu versatum esse. Act. 10, 41.

3. Hoc autem reditu Christi in vitam, vt re in facto posita, idem illud docemur, quod alibi verbis docemur:

Christum, hoc ipso facto comprobantem id, quod saepe praedixerat 1), dedisse insigne documentum ἀξιοπιστίας, quae ei concedenda est, cum in hoc ipso praedicendo, tum in ceteris, quae se reducem in vitam praestiturum promisit 2):

Christi mortem non adscribendam esse communi legi, qua omnes moriuntur, vt in sepulcris detenti mutentur in cineres 3); sed, quia cessauit, adscribendam esse consilio singulari, quod ipse saepius indicavit, vt palam exstaret 4) haec mors intuenda hominibus peccatoribus, fundamentum spei:

Cessationem mortis huius esse argumentum certum perfecti illius consilii 5).

et documentum huius rei, Iesum esse illum destinatum hominibus Dominum [6]):

Eius reditum in vitam esse nobis pignus nostri reditus in vitam, [siue ob exemplum possibilitatis [7], siue ob nexum antecedentis et consequentis [8]), quorum hoc tam certum est, quam illud], insimul pignus futurae alius vitae a morte corporis.

1) Matth. 17, 9. 22. 23. it. 20, 17 sqq.

2) Io. 14, 14. 16.

3) Act. 2, 31. et 13, 34.

4) Io. 3, 14. ὑψῶσθαι, *exponi monumentum omnibus spectandum.*

5) Rom. 4, 25. et 8, 32. 1 Petr. 1, 3. *spes nostra exserit se, vt vera et laetifica, ob resurrectionem Christi.*

6) Rom. 1, 4. Act. 5, 30. 31.

7) 1 Cor. 15, 12. 13.

8) ibid. v. 23. 1 Thess. 4, 14.

4. Quadragesimo die a reditu in vitam [1]) Iesus Christus, adspectabili modo sublimis versus nubes euectus, ex hominum conspectu sublatus est [3]), non, quo iis interesse desineret; sed operaturus inter eos longe alio, longe excellentiori modo, quam quo huc vsque homo inter homines solitus fuerat [3]). Ergo re in facto posita adspectabile reddebatur, quod alibi verbis docebatur, Christum nunc

cogi-

cogitandum esse, vt versantem in caelo [4]), versantem cum Deo [5]), h. e. vltra omnes res humanas casusque et limites humanos elatum [6]), terrenis mundanisque angustiis maiorem [7]), nulla re limitatum [8]) moderatorem vniuersi [9]), omnibus vel summis ac celsissimis superiorem [10]), beatiorem [11]).

1) Act. 1, 3.

2) ibid. v. 9.

3) docens oretenus, vt vllus alius doctor, humilis ministri personam gerens, docens intra vnius Palaestinae oppida, perferens tarditatem successus, impedimenta sibi obiecta non remouens vi, paucis notus, paucioribus probatus.

4) Act. 3, 21. *non aliquem in his terris locum, sed caelum occupat*, omnibus celsior imperat. Phil. 3, 20.

5) Io. 16, 28. et 17, 5. παρὰ σεαυτῷ, *sic, vt apud te sim.* Opponitur v. 4. ἐπὶ τῆς γῆς.

6) Io. 7, 33. 34. et 8, 21.

7) kein eingeschränkter Wirkungskreis, und keine beschränkte Wirkung. Ebr. 7, 26. cf. 8, 1.

8) Phil. 3. vlt. Eph. 1, 22.

9) Matth. 28, 18.

10) 1 Petr. 3, 22. Ephes. 1, 21.

11) Io. 14, 3. et 12, 26.

Cum Deum in caelo esse, e caelo moderari dicimus, intelligimus, eum angustiis mundanis maiorem, omnibus superiorem, beatiorem, potentissimum omnium rectorem. Cf. p. 52. not. 5.

5. Sed reuersus in vitam Iesus Christus, et sublimis in caelos elatus, quid efficit, quodnam opus peragit?[1]) Breui: *regnat, dominus est.* Sed hoc continet illa: Coepit doctrinam suam per apostolos, inde ab Hierosolymis, in Palaestina propagare successu inopinato et potentia conspicua[2]): paulo post per eosdem eorumque collegas, deinde per varios doctores[3]), inter omnes nationes tradendam curauit, effecta religionum publice receptarum conuersione plane inaudita[4]): ad hunc vsque diem in magna parte orbis terrarum conseruat, et ad mundi finem se conseruaturum promisit[5]): replet per hanc doctrinam, suumque et sui Spiritus adiumentum, omnes eam suscipientes omnigenis animi bonis[6]): praeparat futurae felicitati, et a morte corporis ad eam transfert[7]). Quando autem cum fine mundi, qui nunc est, hanc rationem propagandi et conseruandi doctrinam suam, et morale bonum, finiet[8]): tum non definet operari, sed omne humanum genus, pro vitae ante actae ratione, in duo συζήματα dissociabit, sibi deditos in σύζημα felicium, sibi aduersarios in σύζημα infelicium[9]), redditis antea omni generi humano corporibus[10]), futurus ita in aeternum conspicuus is, ad quem

et in hac vita, et in sempiternum, referatur vniuersi generis humani fors et vita. Hic ambitus est illius dogmatis: *Christus est Dominus*, seu *regnat*[11]).

1) §. 4. *operaturus excellentissimo modo.*

2) Act. 2, vsque ad 13. Marc. 16, 20. Quibus ex locis intelligitur, ante Hierosolymorum excidium id euenisse, quod Christus praedixerat (Matth. 24, 14.) ante cladem illam esse euenturum.

3) 1 Cor. 12, 28. Ephes. 4, 11. Et hi omnes eo, quod doctores sunt, sunt διάκονοι τῦ κυρίε. 1 Cor. 12, 5.

4) καινὴ κτίσις ὅλε τῦ κόσμε, Ephes. 2, 10. παλιγγενεσία, Matth. 19, 28. *vos tum, cum facta est haec tanta* μεταβολὴ, *fideles mihi sectatores.* Ebr. 12, 26. et Hagg. 2, 7. *commotio mundi.* Ies. 65, 17. it. 55, 4.

5) Matth. 16, 18. et 28, 18. 19. 20.

6) Colos. 2, 10 sqq. 1 Cor. 1, 5. Ephes. 4, 10. cf. v. 8.

7) 2 Cor. 5, 6. 7. 8. Phil. 1, 23.

8) Desinet doctrinam per ea adminicula propagare, per quae nunc propagat, per ea adminicula resistere impedimentis, per quae nunc resistit: desinet eo, qui nunc est, modo propagare et asserere doctrinam, coetum, bona, et sic praeparare nos futuris. Nempe cum erunt futura, tum desinent praesentia. Cum enim non amplius vna aetas alteri succedet per propagationem subolis, nec homines ab his ipsis, quibus nunc vtuntur, institutis pendebunt: sane non erit amplius talis societas ecclesiastica, qualis nunc est, aut talis ratio discendae tractandaeque religionis, qualem nunc videmus, 1 Cor. 15, 24. cf. §. 8. not. 5. §. 9. not. 6.

9) Matth. 13, 37 sqq. et 25, 31 sqq. Act. 10, 42.

10) Phil. 3, 20. 21. cf. Pars 7. §. 3.

11) v. Dissertt. p. 249. Scilicet, vbi Christus dicitur *Dominus, regnans, regnum habens*, ibi haec dogmata sunt praedicata Domini. Ergo e praedicatis iudicandum est, quo sensu sit Dominus, et quid agat, quatenus est Dominus.

6. Huic operi et oriundae hinc felicitati multa se opposuerunt semper, opponuntque etiamnum, impedimenta, atque etiam opponentur, quam diu res humanae erunt: quae impedimenta vno nomine appellantur οἱ ἐχθροὶ τῦ χριστῦ[1]), h. e. omnia, quae aduersantur Christi consilio, peragendi hoc opus, et per id felicitatem procurandi[2]).

1) Origo nominis est e Ps. 110, 2.

2) Sunt ergo hi aduersarii, aut haec impedimenta,

reiectio Iesu Messiae per Iudaeos: (Matth. 21, 33 sqq. Io. 19, 15. Act. 3, 13.)

publica paganorum religio:

qui vllius generis errores opponunt aut admiscent christianae doctrinae: 1 Io. 2, 18. (ἀντίχριστος est idem, quod ἐχθρὸς χριστῦ,) 2 Thess. 2, 4. (ἀντικείμενος.) Col. 2, 19.

qui sceleribus voluuntur; 2 Petr. 2, 1. *nolunt subesse domino, ius in eos habenti.*

odia Iudaeorum, ex acerrima defensione oeconomiae Mosaicae, et paganorum aduersus christianos, quae eruperunt in crudeles christianorum vexationes;

mors, tamen tangens omnes, etsi redditi sunt per Christum felices, eosque miseria quadam premens. 1 Cor. 15, 26.

Haec omnia autem (excepta morte) dicuntur etiam ὁ κόσμος, praesertim in Ioannis euangelio reiectio Messiae, et hic κόσμος perpetuo vt res, oppositа operi Christi, describitur. Io. 8, 23. et 15, 18. 19. et 16, 8. 20.

Dicuntur etiam haec omnia regnum et opera et consilia Satanae, et hic ipse ἐχθρὸς τῦ χριστῦ nominatur. Matth. 13, 39. cf. Pars 2. §. 10. not. 1.

Sic ergo ἐχθρὸς χριστῦ, aut impedimentum illius operis, est, *quidquid impedit cognitionem, conditionem* (πίστιν et ἔργα καλὰ), *spem ac possessionem felicitatis salutisque, quam per Christum Deus obtingere vult hominibus.* v. Dissertt. p. 254.

7. Sed ipsa haec impedimenta a Christo imminuta et sublata sunt[1]), imminuuntur et tolluntur hodienum, imminuentur et tollentur tandem omnia, cum nostris his terrenis rebus finis fiet. Hoc scriptura sacra his e V. T.[2]) ductis verbis exprimit: τίθενται ὑπὸ τὰς πόδας τῦ χριστῦ πάντες οἱ ἐχθροὶ αὐτῦ[3]): et quoniam haec impedimenta, quamquam de tempore in tempus imminuta, tamen durabunt ad finem vsque mundi, monet, nondum esse omnes aduersarios sub eius potestatem penitus depressos; sed fore, vt deprimantur omnes, et opus Christi continuatum iri, donec omnes depressi fuerint[4]). Hoc quoque pertinet ad ambitum illius doctrinae: *Christus est Dominus*, seu *regnat* (cf. §. 5).

1) Impedimentum quodque suo modo imminuitur: errores, scelera, idololatria, ἀπιστία Iudaica, per Christi doctrinam, et auxilium Spiritus Sancti (1 Cor. 6, 11. Tit. 3, 3 sqq.), et omnem successum moralis boni; publicum oeconomiae Mosaicae exercitium, publica item paganorum religio, per πολιτικὰς conversiones, nominatim excidium templi Hierosolymitani, et finem sacrificiorum Iudaicorum; (vnde toties ἡ παρουσία τοῦ χριστοῦ ad Iudaeos renitentes re atque facto frangendos. (Matth. 16, 27. 28. et 25, 27. 42.) vexationes Christianorum, per prouidentiam Christi omnipotentis; mors, per resurrectionem mortuorum, sublata omni mortalitate (1 Cor. 15, 26. 54.), vt et metus mortis per Christi mortem (Ebr. 2, 14, 15.) et doctrinam (2 Tim. 1, 10.) Cf. Nösselti opuscula. Fasc. 2. p. 364. §. 14.

2) Ps. 110, 1. 2.

3) Act. 2, 34. 1 Cor. 15, 25. Ebr. 10, 13.

4) cf. ll. cc. ep. ad Cor. et Ebr. Ergo illud, ἕως — τεθῶσιν, est idem, quod *ad finem vsque rerum*, quales nunc sunt, *humanarum*. Tunc enim et cetera cessabunt, et mortalitas ipsa cessabit.

8. Haec talia et tanta, modo singula, modo omnia, huius vniuersi operis inchoatio, continuatio, consummatio, intelligenda sunt iis in locis, in quibus Christus dicitur post reditum in vitam δεδοξασμένος[1]), ὑψωθεὶς[2]), Dominus[3]) Regnans[4]), aut vbi regnum Christi[5]) nominatur.

1) Is, cuius dignitas et maiestas summa per hoc opus conspicua facta est. Io. 17, 1. et 7, 39. Act. 3, 13. Tempus autem, ex quo ἐδοξάσθη, seu maiestas peragentis hoc opus conspicua fieri coepit, semper est tempus secutae passionem et mortem resuscitationis

Christi e mortuis. Luc. 24, 26. 1 Petr. 1, 11. Io. 7, 39. et 12, 16.

2) Phil. 2, 9. *euexit eum Deus ad hanc maiestatem, vt hoc opus peragat.*

3) Act. 2, 36. et 10, 36. Luc. 1, 76. 1 Cor. 8, 6. et 12, 3. 5. Ephes. 4, 5. 2 Cor. 3, 16. et 4, 10. Et in epistolis, Paulinis praesertim, qui κατ' ἐξοχὴν Dominus et Dominus noster dicitur, est Iesus Christus. Idem est ὁ δεσπότης 2 Petr. 2, 1. Origo nominis est in Ps. 110, 2. cf. Mal. 3, 1. (cf. Schulz. ad 2 Cor. 1, 2.)

Posset ergo *Dominus* sic describi: qui vniuerso imperat, et nominatim inter omnes homines, adversus impedimenta multa et continua, morale bonum et eius adminicula, salutis causa, potenter conseruat, et diuina vi propagat, quippe vniuerso imperans, tandemque tribuit salutem, a quo proinde omnes in discendo, statuendo, agendo, sperando, et potiunda salute pendent, qui exhibitus nobis est a Deo dator salutis amplissimo sensu. Act. 4, 11. 12. Hoc ergo est, *Iesum profiteri et adorare Dominum.* 1 Cor. 12, 3. Act. 22, 16. Phil. 2, 10. 11. Cf. Lang. ad Teller. Vocabularium. P. 3. p. 38. it. Dissertt. p. 249.

Synonyma sunt κεφαλὴ, ποιμὴν (Io. 10, 16.), ἀρχιποιμὴν (1 Petr. 5, 4. Ebr. 13, 20.), πρωτότοκος (Ebr. 1, 6. cf. Ps. 89, 28.)

4) 1 Cor. 15, 25.

5) Col. 1, 13. Quod quidem regnum siue opus *desinet*, quoad est modus (institutum) inter homines his in terris ab vna aetate ad alteram continuandi hoc opus, nobis notus et conspicuus, et vnius post alteram aetatis christianos transferendi in futuram felicitatem: 1 Cor. 15, 24. (cf. p. 179. not. 8.) sed erit *aeternum*, quoad inest in possessione ipsius felicitatis futurae. 2 Petr. 1, 11. 2 Tim. 4, 18.

9. Cum autem, quidquid horum per Christum fit, id fiat, quia Deus sic instituit[1]), et cum totum hoc opus non modo sit institutum Dei, sed et opus Dei, quod tamen per alium exsequitur[2]): nominatur etiam regnum Dei[3]), seu regnum caelorum[4]), is autem, per quem Deus exsequitur, rex Iudaeorum et gentium, rex totius generis humani, a Deo constitutus[5]), rex, quem Deus secum regnare voluit[6]). Vnde coniunctim, regnum Dei et Christi[7]).

1) Ies. 53, 10. חפץ יהוה, Act. 1, 7. *constituit, decrevit Pater, quia potest, quia penes ipsum est.* Et penes quem est, tempora definire, penes eumdem est ipsum illud opus. Ephes. 1, 19 sqq. Act. 2, 36.

2) Ipse Iesus, quidquid egit, agit, aget, habet, potest, sive vt minister Dei in his terris, sive vt ad gloriam euectus spectetur, id omne refert ad Deum, qui ipsi hoc dederit, Io. 17, 2. 24. et 5, 26. 27. Et Apostoli totum hoc vergere dicunt εἰς δόξαν πατρὸς Phil. 2, 11. Hinc et dicitur Christus omnibus superior, excepto Deo, qui Christum omnibus superiorem esse voluit. 1 Cor. 15, 27.

3) Omnes parabolae, de regno Dei exponentes, exponunt modo de initio, modo de progressu, modo de consummatione huius operis: modo de omnibus coniunctim: aliae describunt ecclesiae indolem, aliae eius fata, aliae bona parata et obuia per hoc opus. Et cum Christus prodire coepit in publicum, edocti homines sunt, nunc instare illud opus, illius initia mox fore. Hoc ergo opus totum, aut eius vlla pars, dicitur regnum Dei: ideoque regnum Dei et regnum Christi est res eadem. Cf. Act. 20,

25. *edocere homines de regno Dei:* et v. 24. *doctrinam de gratia Dei exponere.* Ergo regnum Dei est *institutum exhibendum gratiae, et exhibitio ipsa gratiae per totum hoc opus, inde a Christi reditu in vitam εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων durans.* Hinc, accedentes ad regnum Dei, intrantes illud, sunt, qui se associant coetui Christi, potiunturque bonis, huic coetui paratis, et nunc, et olim.

4) Hoc nomen est synonymum βασιλείας θεοῦ. Cf. Schöttgen. Hor. Hebr. et Talm. vol. I. p. 1147. Keilii historia dogmatis de regno Messiae, Christi et Apostolorum aetate.

5) Io. 17, 2. Act. 2, 36. Ps. 2, 7. it. מְשִׁיחַ יְהוָה, מֶלֶךְ יְהוָה, quibus respondent χριστὸς τοῦ Θεοῦ Luc. 2, 26. Apoc. 12, 10. Ergo idea Messiae est, is, per quem Deus hoc opus peragit: et historia totius operis, eventus ipse, effectio horum per Christum, est argumentum liquidissimum eius rei, Iesum esse Messiam: peragit enim, quod Messias peragere debuit. Io. 5, 36. Cf. p. 134.

6) *Quem sibi dextrum collocauit.* Ps. 110, 1. Nempe qui dicitur dexter Deo sedens, is per haec verba dicitur *regnare cum Deo*, vna cum Deo hoc opus potentissime peragere, quidquid contra nitatur, cf. 1 Cor. 15, 25. βασιλεύειν. Ebr. 1, 13. 14. oppositum λειτουργεῖν. (Vitringae Obseruatt. Sacr. 2, 1.) Vnde, quem Deus collocat sibi dextrum, eum *vult secum regnare.* Ephes 1, 20 sqq.

Cum ergo in fine rerum humanarum ea pars et is modus huius operis desinet, quae pars nunc decurrit, et quo modo nunc decurrit: tum Christus non amplius *sic, vt nunc*, peraget cum Deo hoc opus, *cedet Patri suo* hoc regno et hoc modo regnandi, (er wirds dem Vater abtreten) 1 Cor. 15, 24. 28. et *vnus Deus erit omnia*, v. 28, apparebit, proprie Dei hoc opus fuisse, et esse, et futurum esse, qui Deus partem eius per alium adminis-

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn866827781/phys_0215 DFG

ſtrauerit, omnia in hoc opere tandem ad Deum redire. cf. §. 5. not. 7.

7) Epheſ. 5, 5. Apoc. 12, 10. *Nunc largitur ſalutem et potenter regnat Deus noſter, nunc imperat rex, ab eo conſtitutus.*

10. Haec talia et tanta totius operis cauſa peragens Chriſtus ſiſtitur etiam, vt re et facto opitulans ſuis[1]), tuens ſuos[2]), ſalutifer[3]) ſuis[4]) tum nominatim[5]), cum, amplexi eius doctrinam, ſe peccaſſe et peccare conſcii ſibi fiunt cum quadam ſollicitudine.

1) παράκλητος, 1 Io. 2, 1. cf. p. 18. §. 6. not. 1.

2) ἐντυγχάνων, ὑπὲρ ἡμῶν. Rom. 8, 34. Ebr. 7, 25. Hoc verbum, ſignificans, *medium ſe alterius cauſa interponere* (ſich ins Mittel ſchlägen, für jemanden verwenden), ab humanis rebus ductum eſt, remotisque a Chriſto celſiſſimo omnibus, quae hominibus, aliorum cauſa ſe interponentibus, tali tempore propria (mere humana) ſunt, indicat, *Chriſtum tueri ſuos* (ſich ihrer thätig annehmen), quo ſenſu aliquis patronus, vindex, opitulator, auerruncus, Latine tueri aliquem dicitur. Qui putant, hoc verbum non poſſe aliter verti, quam *deprecari*, et debere vtique ſic verti, hi non cogitant, vſum loquendi latius patere. Cf. Diſſertt. p. 298.

3) σώζων. Ebr. 7, 25. (ihr Heil befördern, zu ihrem Heil wirken, thätig ſeyn). vbi σώζειν τινὰ et ἐντυγχάνειν ὑπὲρ τινος permutantur.

4) Rom. 8, 33. τοῖς ἐκλεκτοῖς. 1 Io. 2, 1. his, qui ſanctitati operam dant. Ebr. 7, 25. his, qui Deum colunt, vt Chriſtiani veri. Nuspiam dicitur Chriſtus παράκλητος aliorum, aut ἐντυγχάνων ὑπὲρ ἄλλων, quam cum reſpectu ad ſuos, h. e. veros chriſtianos.

5) 1 Io. 2, 1. *Si quis studiosissimus sanctitatis tamen deliquerit.* Rom. 8, 34. si quis subtimidiuscule autumet, an habeat fortasse, quae metuat. Sic affectis animo scribitur haec doctrina solatio.

11. Quid suis, tali modo affectis animo, praestet re et facto, diuersum ab illis beneficiis, quae alibi saepe describuntur, id multi quaesiuerunt, et nomine ἐντεύξεως appellarunt[1]). Sed in Scr. S. nihil describitur nominatim[2]). Ergo subsistendum est in vniuersum in hac notione, *auxilium re exhibitum*, beneuolentia et cura, (thätige Hülfe, thätige Beruhigung, thätiger Beystand), comprehendente omnia beneficia, quae per Christum contingunt sic affectis animo.

1) v. Dissertt. l. l.

2) Inde non est certum, aut vnice verum, id, quod agat et praestet, constare deprecatione. – Multi theologi nominarunt *applicationem gratiae*. Quod quid est, nisi re procurare, vt compotes sint homines tales solatii, spei, persuasionis certae? Alii dicunt, fructus mortis Christi intelligi, quibus potiantur illi de se solliciti, fructus, quorum valor sit perpetuus.

12. Docemur ergo hac Christi descriptione, nos, tali modo affectos animo, cogitare debere, tum non deseri nos a Christo, eum non otiosum esse spectatorem sensuum nostrorum et sollicitudinum, eum non feciſſe tum, cum obiit, finem nos adiuuandi; sed *pergere* nos iuuare: eius amorem

perennem non destitutum esse *factis*; sed eum semper esse et manere *datorem* salutis (thätiger Heiland, Retter, Beglücker): ideoque concludimus, nos, etsi imbecillos imperfectosque, Christi curatoris et adiutoris causa, Christo fretos, tam certo placide viuere ac mori posse, quam certo in humanis rebus sumus placidi, cum nouimus aliquem hominem nobis subtimidis opitulari, nos tueri, eoque freti tranquillamur. cf. Dissertt. l. l.

13. Officia e doctrina de Christo Domino nascuntur haec: vt in *statuendo* de religione accommodemus nos vnius Christi doctrinae, eamque teneamus[1]), nec vllas alias sententias, ab ea diuersas, aut ei contrarias, ei praeferamus, nec patiamur nobis obtrudi iugum per hominum auctoritatem[2]): vt in *agendo* accommodemus nos normae, a Christo propositae, cum de his, quae agenda sunt, tum de causis, quare, et de modo, quo agenda sunt[3]): vt in *sperando* per omnem vitam, ac morientes etiam, eum respiciamus[4]).

1) Col. 2, 19. κρατεῖν τὴν κεφαλήν.

2) Nec per eum hominem, quem multi Christianorum infallibilem et vicarium Christi esse autumant: nec per priscas traditiones: nec per concilia: nec

per nouarum reuelationum pollicitationes. 1 Cor. 7, 23. Cf. Prolegom. Sect. 4. §. 30. p. 36. 37.

3) πάντα ἐν Κυρίῳ.

4) Col. 1, 27. 1 Cor. 15, 18. 19. Apoc. 14, 13.

Corollarium de ſtatu exaltationis.

Quia Ieſus Chriſtus inde a reditu in vitam hoc opus cum ſumma maieſtate peragit, dicitur verſari nunc in conditione praeter modum excelſa, ſiue in ſtatu exaltationis[1]). Quem ſtatum doctores religionis vel deſcribunt partibus eius enumerandis[2]), (quas partes nominant gradus), vel definiunt communi notione[3].)

1) Verbum ductum eſt e Phil. 2, 9. Quo loco Paulus proprie id vnum exemplo Chriſti confirmare vult eum, qui ſe obediens ſubmittat Deo in miſeriis etiam perferendis, a Deo ad ſummam felicitatem prouehi: vti Chriſtus, ſuperata omni illa tenuis vitae conditione, eſt iam omnium Dominus.

2) Enumerant autem has: reſurrectionem Chriſti, abitum Chriſti in caelos, ſeſſionem ad dextram Dei, aduentum iudicis cum reſuscitatione mortuorum. Has res in facto poſitas qui adiunctis dogmatibus tractat, is tractat locum de ſtatu exaltationis. Multi primo loco numerant deſcenſum ad inferos.

Deſcendiſſe Chriſtum ad inferos, h. e. in locum et ſtatum eum, in quo ſunt *damnati*, (ſic enim intelligitur, vbi de hoc deſcenſu inter chriſtianos hodie quaeritur) non legitur in SSa diſerte et citra omnem dubitationem. Nam Epheſ. 4, 9. τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς vel ſunt, *terrenae hae, inferiores hae regiones*, oppoſitae alto ſeu caelo: vel

sunt *loca subterranea*, seu *sepulcrum*: dicunturque ibi haec duo connexa in Iesu et indiuulsa, vel, *eumdem* rediisse ad caelum summum, *qui* ab deserto in terris humilis fuerat: vel, *eumdem* esse ad summam dignitatem euectum, *qui* antea se ad sepulcri adeo humilitatem demiserat. Vnde nos, cogitantes illum summum, ἵνα κύριον, et quis sit quaerentes, cogitare debemus, esse hunc *eumdem*, *quem* nouimus in terris vixisse, aut sepultum esse.

Porro 1 Petr. 3, 20. dicitur Christus post abitum in caelos (πορευθεὶς, cf. v. 22. et Act. 1, 10.) iis, qui Noachi tempore noluerunt resipiscere, aut doctor exstitisse, aut manifestasse, se esse summum dominum: (auch jener Theil des Menschengeschlechtes, jene ganze Vorwelt hat ihn kennen lernen): etsi locus perobscurus est.

Act. 2, 31. coll. Ps. 16, 10. ᾅδην non esse locum damnatorum, sed statum et locum demortuorum, ex Hebraica lingua notum hodie est.

In verbis, *descendit ad inferos*, *infera*, *inferna*, *infernum*, (sic enim variatur forma verbi, *inferi*: cf. Pearson. expos. symb. apost. p. 402.) quae in symbolo apostolico, vt et in aliis symbolis posita leguntur, reperitur antiquissimis temporibus, inter Graecos aeque ac Latinos, discrepantia multiplex. Nam aut plane nulla fit mentio vel sepulturae Christi, vel descensus ad inferos, aut legitur tantum, *sepultus est*, aut tantum, *descendit ad inferos*. Temporis demum successu, saeculo quarto, legitur vtrumque coniunctum. (v. Rufini expositio symb. apost. §. 18. 28. Walchii biblioth. symbol. vetus: Lemgov. 1770. praesertim p. 74 et 144.)

Qui verba, *descendit ad inferos*, aut in symbolo apostolico, aut in alio symbolo, aut in scriptis suis passim posuerunt, hi antiquissimis quidem temporibus id intellexerunt, Christum in sepulcrum, omninoque in locum et statum mortuorum peruenisse:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0220
DFG

(nam hic est vsus loquendi huius formulae inter Graecos Latinosque priscos: v. Suiceri Thes. eccles. in ᾅδης. Deyling. Obs. S. P. 3. p. 342 sqq. Eiusdem Prud. Pastor. p. 370.) ideoque vel intellexerunt simpliciter, eum sepultum esse; (veluti, cum τὸ ϑάπτεσϑαι διὰ τῦ βαπτίσματος. Rom. 6, 4 dicunt symbolum τῆς εἰς ᾅδα καταβάσεως χριστῦ, i. e. sepulturae, vel (quae satis mature plurium sententia fuit) simul statuerunt, corpore Christi in sepulcro cubante, eius ψυχὴν tamen simul egisse aliquid, seu mortuos euangelium docuisse. v. Pott. ad epistolas Petri. Excurs. 3. p. 289 sq.) Haec duo igitur, cubare in sepulcro corpus, et ψυχὴν versari inter ψυχὰς mortuorum, aut alterutrum horum, exprimunt antiquissimi doctores ecclesiae per verba, καταβαίνειν εἰς ᾅδα, et exprimunt nominatim de Christo loquentes: ᾅδην vero antiquissimi illi non interpretantur locum damnatorum. Hinc Rufinus, (qui l. c. §. 18.) dixerat, vim verborum *descendit ad inferna* videri eamdem, quae sit in verbo *sepultus*, tamen deinde (§. 28.) addit, Christum sepultum etiam esse aliquid, siue docuisse. [Nempe opinati sunt veteres, et σῶμα et ψυχὴν alicuius demortui peruenire in locum (sepulcrum) et statum (agendi patiendiue) mortuorum.] Iam haec ipsa connexa, et, quia connexa sunt, *ἰσοδυναμοῦντα*, *sepultus est*, *descendit ad inferos*, quorum alterutrum hic illic in symbolis vetustissimis legebatur, simul in textum subinde venerunt saeculo quarto. Vnde posteri, memores eorum, quae ab antiquioribus de Christo sepulto, eodemque in mortuorum illo loco et statu euangelium docente, dicta fuerant, disiunxerunt, quae e mente veterum coniuncta erant, sepulturam et descensum ad inferos (v. Walch. l. c. p. 71. 144), et quorum alterutrum tantum antiquissimi nominarant: atque cum infernum (ᾅδην) inciperent interpretari *locum damnatorum*, distinxerunt sepulturam et abitum in locum damnatorum.

Cf. praeter Pearsoni, Walchii et Potti iam nominatos libros, Witsii Exercc. ad symb. apost. p. 278. Walchii introductio ad LL. SS. p. 100. Dietelmaieri histor. dogmatis de desc. Chr. ad inf. Altorf. 1762. Add. de modo huius dogmatis tradendi LL. SS. p. 613. 788.

Ceterum alii hunc descensum referunt ad exinanitionem, alii ad exaltationem, quoniam de tempore eius, de loco, de his, quae Christus ibi egerit vel perpessus sit, de scopo et fructu, suam quisque opinionem sequitur. De quo quidem magno theologorum dissensu vid. Musaei praelectt. in F. C. p. 309 sqq. et Pott. l. l. p. 305 — 314.

3) Definiunt sic: esse plenum perfectumque vsum omnium attributorum diuinorum Christi. (cf. p. 173. defin. exinan.) Multo simplicior est Pauli descriptio: Deus Christum constituit Dominum.

APPEN-

APPENDIX

de methodo exponendi locum de Christo, nomine et ordine muneris triplicis.

I.

Quidquid Christus, e Patris consilio et iuxta voluntatem eius, peregit, et nunc quoque peragit, quidquid in N. T. libris ἔργον, αὐτῷ παρὰ τοῦ πατρὸς δεδομένον, nominatur, id Latinae ecclesiae doctores, secuti Latinae linguae vsum, appellare coeperunt *Munus* Christi.

2. Cum, quidquid ita peregit, et etiamnum peragit, id tamquam totum constet tribus partibus, docendo, mortem obeundo, Dominum se gerendo: dici solet hoc *Munus triplex*, h. e. negotium (ἔργον) integrum, tribus partibus constans.

3. Ergo quia Christus, e Patris sui consilio, ipse his in terris oretenus homines docuit: appellant hanc integri negotii partem *munus propheticum*. Iesus enim *in libris N. T.* propter hanc ipsam occupationem nominatur propheta, alio autem nullo sensu in iis libris prophetam se gessisse dicitur. (cf. supra p. 148).

4. Quia Christus, e Patris sui consilio, mortem obiit, appellant hanc integri negotii partem *munus sacerdotale aut mediatorium*. Iesus enim, quamquam rarius, in N. T. libris non modo dicitur ἱερεὺς et μεσίτης, sed et eo sensu, quatenus morti se tradidit, sic *simpliciter* dicitur. Vbi vero additur Sacerdoti verbum *aeternus*, ibi intelligitur, eum vnum solum manere nobis expiatorem, nec opus esse alio. (Cf. supra p. 157—160.)

5. Quia Christus nunc, e Patris sui consilio, Dominum se gerit et regnat, vt res antea (p. 178 sqq.) descripta est: appellant hanc integri negotii partem *munus regium*. Certe Iesus in N. T. libris alio nullo sensu dicitur βασιλεὺς aut κύριος, quam quia redux in vitam peragit, quae supra l. l. descripsi.

Io. 18, 37. est μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, non, τὴν ἀλήθειαν. Sed μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ est, *aperte et plane proloqui verum, sine fuco et fraude, testiari rem ita se habere, vt revera se habet.* cf. Io. 5, 33. it. 3 Io. ep v. 3. 6. Ergo non verti simpliciter debebat, *docere veram religionem*: quasi illa formula esset definitio aut descriptio totius negotii regii. Nam haec sententia, *docere religionem*, exprimenda fuisset potius per illam formulam, τὴν ἀλήθειαν μαρτυρεῖν.

Exstat ergo in SSa *res ipsa*, quae hac methodo exponi solet: nam exstat ibi partim notio totius ἔργου,

quod haec methodus Latinitate non spernenda nominat *Munus:* partim notio distincta distinctarum occupatione, etsi connexarum, trium partium. Et, si reprehendi nequit, qui dicit, Iesu ἔργον e consilio Patris fuisse et esse, docere, mortem obire, Dominum esse: nec reprehendi debet, qui dicit, eius munus, a Patre ipsi traditum, fuisse et esse, vt doceret, mortem oppeteret, et Dominum se exhiberet.

Exstant vero etiam in SSa *nomina* partium huius rei, et quidem inuicem distincta, ideoque rata, certa, fixa, *Propheta*, *Sacerdos et Mediator*, *Dominus*, quae illius ἔργα partes finite (determinate) exprimunt; non autem permutantur, vt synonyma, aeque late patentia. Numquam Iesus se prophetam gessisse dicitur, quatenus et quia mortuus est: nec sacerdotem, quatenus et quia docuit: nec Dominum, quatenus et quia homines *coram* docuit et morti se obtulit.

Ergo mihi quidem videtur illa methodus satis congruere cum modo cogitandi et vsu loquendi SSae.

Scriptores probantes, improbantes, variantes hanc methodum nominauit Doederlein in institut. theol. §. 305.

Ceterum potest aliquis rem ipsam sine his verbis tradere, aut res easdem aliis exprimere verbis: et expressi ipse supra verbis aliis ideo, quoniam in sacerdotis nomine, rarius occurrente, tantum tropus est: intelligitur enim is, qui mortem cruentam obiit, in caelum deinde abiit, vnus solus verus expiator manens: in prophetae autem vocabulo Hebraismus.

Si qui pro arbitrio, contra quam N. T. scriptores fecerunt, fines horum vocabulorum extendunt [1]); si nimii sunt in eruenda hac methodo e notione vnctionis, et moribus Iudaicis ad Christum vnctum transferendis [2]); si omnia niti volunt typis [3]): id methodum per se non tangit, sed varietates methodi sunt, a singulis doctoribus introductae, contra quam opus erat. Si e contrario alii

Christum prophetam ampliore sensu, ad exemplum Mosis, eum Sacerdotem ampliore sensu, ex etymologia verbi כהן, describere malunt: non efficiunt illico, ante dictam methodum omni fundamento destitui, et suam sententiam praeferendam esse.

1) v. c si ad munus propheticum referunt, Christum etiamnum per doctores curare ecclesiam erudiendam. Certe Paulus Ephes. 2, 17. et 4, 11. eum in tali re non appellat prophetam.

Aut si ad sacerdotis munus referunt tria, sacrificare, deprecari, εὐλογεῖν, et haec omnia exsculpunt e comparatione cum Aarone. v. Witsii Miscell. sacra T. 1. p. 452.

De Christo ἐντυγχάνοντι (qui nullam habet cum Aarone similitudinem) dixi supra p. 186 sqq. Christus εὐλογῶν (Act. 3, 26.), h. e. benefaciens, est longe alius, quam Aaron, recitans formulam bene precandi (Numer. 6, 24).

2) Cum Christus dicitur מָשִׁיחַ, id ad regem aut dominum pertinet, significatque *regem*. cf. p. 183. 185. Et Act. 10, 38. vnctus dicitur, h. e. qua homo, docendo destinatus, *dotibus* fuisse *instructus*, ad munus gerendum necessariis: sed hoc non pertinet ad regem. Ad demandatam sibi mortis perpessionem, aut sacerdotale negotium nusquam dicitur vnctus.

3) v. Witsius l. l.

PARS QVINTA

De his, quae a nobis obſeruanda ſunt, vt gratia ſalutari potiamur.

CAPVT I.

De notione et natura fidei, et iuſtificatione, fidem conſequente.

I.

Parata nobis eſt, et promittendo declarata atque oblata gratia ſalutaris, vt ea fruamur potiamurque [1]), h. e. vt adipiſcamur ſcientiam eius, vt tranquillemur animo, vt ſapientius emendatiusque viuamus, vt ſcientiae et emendationis incrementa capiamus, vt per haec omnia felices beatique iam in his terris [2]) viuamus, quamquam non ad perfectionem vsque venitur, vt per haec omnia futurae felicitati perfectiori praeparemur [3]), vt denique ipſa hac felicitate olim perfruamur.

1) Dicitur applicatio gratiae.

2) Buddei Miſc. ſacr. P. 3. p. 77 ſqq.

3) His bonis qui fruitur, is in ſacris libris dicitur κοινωνίαν ἔχειν μετὰ τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος (2 Cor. 13, 13. 1 Io. 1, 3.), εἶναι τέκνον θεοῦ, εἶναι κληρονόμος (Gal. 3, 29.), εὐλογηθεὶς εὐλογίᾳ πνευματικῇ (Epheſ. 1, 3). Idem eſt, *manet*

in Deo, et Deus in illo. cf. Disertt. p. 263.) A theologis dicitur in statu gratiae versari (cf. Heilmann comp. th. dogm. §. 324.)

2. Qui autem reuera frui cupiunt illa gratia Dei salutari, ab his SSa constanter postulat[1]) fidem, vt (ὄργανον λητικὸν) adminiculum accipiendae illius gratiae, nominatim veniae peccatorum, vt conditionem gratia (venia nominatim et salute) vere fruendi[2]).

1) Act. 16, 31. Marc. 16, 16.
2) 1 Io. 5, 10 — 13.

3. Haec fides, quam religionis doctrina proprie et significatu dogmatico dicit, constat *assensu, quem praebemus dictis a Deo.* A Deo dicta, sunt hodie vno verbo doctrina Dei vniuersa, in literis sacris exposita[1]), docendo, praecipiendo, promittendo, minando[2]). Et haud dubie πιστεύειν saepe significat, vniversam religionis doctrinam cognitam suscipere cum assensu[3]), eamque suscipientes dicuntur πιστοὶ, vt ipsa haec doctrina nominatur πίστις[4]), id, quod cum assensu suscipitur, cui assensus debetur.

1) ὁ λόγος τ῀ Θε῀.
2) V. praefat. vers. Germ. ep. ad Ebr. p. 13. Abbildung der ganzen Pflicht des Menschen. p. 10 sqq. (Hauniae 1761.) Crusii Plan des Reiches Gottes. p. 140. Cf. Musaeus de conuers. p. 499 sqq.

3) Act. 2, 44. et 4, 32. et 16, 34. et 17, 34. et 21, 20. 25. Tit. 3, 8. Et hoc ipsum saepe est πιστεύειν εἰς χριστόν. Io. 8, 30. 31. et 13, 36. 44. 46.

4) 1 Tim. 4, 1. Ep. Iud. v. 3. 20. Scholae dicunt fidem, quae creditur (obiectiuam): sed nostrum assensum appellant fidem, qua creditur (subiectiuam).

4. Causae vero, cur dictis a Deo, seu doctrinae Dei, assentiamur aut credamus, (neque enim coecus et temerarius assensus postulatur) sunt in natura et attributis Dei, propter quae ille, vnus solus fons nostrae felicitatis[3]), idemque nobis imperfectis longe perfectior[2]), cum assensu a nobis audiendus est, vbi de adipiscenda felicitate, certa per Deum, quaeritur: sunt item in attributis atque opere Christi[3]), missi ad nos docendi causa, suamque doctrinam propagantis, missi item nobis salutis adipiscendae causa: propter quas causas aeque ac pater ipsius audiendus est.

1) 1 Io. 5, 20. cf. Ps. 36, 10.
2) Rom. 4, 17. 2 Cor. 1, 9. Ebr. 4, 12. et 6, 17. et 11, 6. 11. 19. 27.
3) Io. 5, 21. 22. 23. 36.

5. Qui has causas assentiendi dictis a Deo sequitur, is haud dubie, quippe motus perfectione diuina, promto lubentique animo assentietur Deo dicenti, et tranquillus adquiescet eo dicente. Ergo, cum promte lu-

benterque assentiendo, et tranquille adquiescendo, se exhibeat et tractet, vt erga Deum se exhibere et tractare dignum est homine limitato, imperfecto, inferiore multo, quam Deus est[1]), siue cum ita assentiendo et adquiescendo sic talis animo, qualem esse decet, cumque ita simul respondeat consilio Dei docentis[2]): dicitur interdum, ob hanc talem animi affectionem, assensui annexam, eo ipso, quod lubens et adquiescens assentitur, *obedire*, seu accommodare se Deo[3]). Contrario animo qui est, non assentiens, non adquiescens, detrectans se accommodare consilio Dei docentis, dicitur eo ipso, quod recusat assentiri, *immoriger*[4]).

1) Rom. 4, 20. Abrahamus πιστεύων δίδωσι δόξαν τῷ θεῷ, *veneratur Deum.* Hinc LL. SS. p. 69. 88. 103. 125. 126: *Fides est cultus et* λατρεία, h. e. (vt ego interpretor) tum, cum assentimur promti lubentesque, quia Deus docet, promissionesque tranquilli admittimus, quia Deus promittit, sumus animo pii erga Deum, et verecundi, tali erga eum animo, quali esse debemus. [Haec dum dico, nolo vlli controuersiae occasionem praebere (Gerhard. Loc. T. 3. p. 322.), aut sub aliqua ambiguitate latere: quasi πίστις sit ἔργον καλόν: nam haec pia mentis affectio, πίστις, longe differt ab εὐσεβείᾳ, factis constante, et fidem secuta v. Walchii introd. in libros symbol. p. 445.] Ceterum cf. Chemnit. Loc. T. 2. p. 252 sq. vbi ostendit, fidem aliquid esse in intellectu et corde. Add. Musaeus de Conuers. p. 182.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0230
DFG

2) LL. SS. ibid. *vult sibi credi Deus, vult nos ab ipso bona accipere.* Admittens ergo homo promte, pium et verecundum se exhibet erga Deum, et talem animo, qualis esse debet, dicente Deo. Cf. programma prius (in disf. Vol. II. p. 123 sqq.) de homine, submittente se Deo, vbi haec verecunda πίστις erga praecepta de officiis, ducens deinde ad facta, describitur.

3) Rom. 1, 5. sich nach dem achten, in das fügen, worüber sich Gott erklärt, es billigen, es gelten lassen, Gott Recht geben, sich belehren lassen, die Belehrung willig annehmen. Act. 6, 7. *volentes admittebant doctrinam*, non repudiabant. add. Act. 2, 41. ἀσμένως ἀποδέχεσθαι. cf. Progr. ad Io. 12, 37. in disf. Vol. II. p. 119 sq. Crusii Plan des R. G. p. 147. *der Glaube ist Einwilligung und Unterwerfung unter die göttliche Heilsordnung.*

4) Io. 3, 36. Act. 13, 46. Rom. 10, 3. Ebr. 3, 18. 19. (cf. σκληρύνεσθαι saepius in hoc capite, et Act. 19, 9). Luc. 7, 30. Io. 12, 48. sich der Belehrung weigern, sich nicht belehren lassen.

6. Assentiens promto lubentique animo dictis a Deo, praesertim Dei causa, statuet necessario, ea sibi quoque dicta esse: nec dicta tantum esse, vt sciat assensuque probet[1]); sed iis quoque vtatur. Vtitur iis, partim dum varios bonos sensus, assensioni promtae se adiungentes, ex assensione per naturam rei oriundos[2]), ipse non impedit negligendo, retardando, opprimendo, aut adeo ad contrarios sensus[3]) inclinando: partim dum assensioni, ope bonorum sensuum adiunctorum[4]), conuenienter agit et viuit[5]). Sic fides se exserit[6]) per bonos

sensus intrinsecus, per facta extrinsecus, siue efficit bonos sensus et recte facta7).

1) Rom. 2, 13. Iac. 1, 23. cap. 2. tot.

2) Eiusmodi sensus sunt: Spes, fiducia, in sperando confidendoque constantia (Ebr. 6, 12. 15. et 11, 1.) et fortitudo (ἄνευ ὑποστολῆς Ebr. 10, 38. 39.): rursus inclinatio ad agendum: verecundia item et modestia discendi, studiumque concredendi Deo, quae ille docet. (Cf. praefat. Vers. Germ. ep. ad Hebr. p. XIV. Crusii Plan p. 139. Es muss zu dem Beyfall das Vertrauen auf die Gnade, wodurch man sich eben der Gnadenverheissung gemäss bezeiget, hinzu genommen werden.)

3) Dubitationem et fluctuationem; segnitiem ad agendum: ὀκνησιαστίαν.

4) Iac. 2, 22. ἡ πίστις συνεργεῖ τοῖς ἔργοις, adiuuat facta, vt facilius et certius fiant.

5) Iac. 2 tot. ἡ πίστις ἔργα ἔχει. 2 Petr. 1, 8. Et profecto, vt exemplo vtar, in cuius animo est constantia orta ex assensu, is aget etiam constanter.

6) δύναται. Iac. 2, 17. Alias est πίστις καθ' ἑαυτήν, sola per se, eaque νεκρά, nullum adferens homini fructum, εἰ σώζεσαι, ἧς οὐδὲν ὄφελος.

7) Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 662 sqq.

Hoc consilio cap. XI. ep. ad Hebr. tractatur fides, versans in rebus mere intelligibilibus et futuris, easque pro veris habens, vt ostendatur, *a*) vnde assensio oriatur, e qua declaratione Dei, et e quo attributo, *b*) quomodo afficiat animum aliquo sensu, et *c*) conformet vitam ad facta.

Hinc equidem apparere arbitror, quam sapienter adstricta sit religio fidei, vt initio et fonti omnis religionis, cum ab intellectu (institutione), qui assensu repletur, transeatur ad voluntatem, (bonos sensus et bo-

na proposita), et sic ad actionem veniatur. Ergo agit Deus, ducens ad fidem, morali modo cum hominibus.

7. Eadem est in vniuersum natura fidei tum quoque, cum assensus praebetur traditae nominatim doctrinae de promissione veniae peccatorum et futurae salutis propter mortem Christi[1]): quae fides interdum κατ' ἐξοχήν fides in Christum[2]), et fides in mortem eius[3]) dicitur. Nam tum quoque *cognitis* promissionibus *assensus* praebetur, tum quoque *sensus* boni, et quidem spei fiduciaeque, adiunguntur, tum quoque sequitur *vita*, assensioni et spei consentanea.

1) τῷ λόγῳ τοῦ σαυροῦ, i. e. doctrinae de causa, consiliis et fructibus mortis Christi. 1 Cor. 1, 17. et 2, 2. Quod ergo docetur nominatim, ei assensus habetur nominatim (id est obiectum fidei). cf. Musaei prael. in F. C. p. 107. Gerhard. Loc. T. 3. p. 371.

2) Io. 3, 16. πιστεύειν εἰς τὸν ὑψωθέντα (cf. Io. 12, 33). Ergo obiectum πίστεως est illa mors in crucem acti.

3) Rom. 3, 35.

Formula mere Hebraica[1]), *credere in aliquem*, et ducta hinc illa, *credere in Christum*, natusque indidem modus loquendi, *fides in aliquem*, *fides in Christum*, significant

vel, censere Christum missum a Deo doctorem[2]), eique docenti assentiri[3]):

vel, Christum, eius omnem personam, suscipere et agnoscere et admittere talem, qualem ipse descripsit, Doctorem, sua morte Seruatorem, Dominum[4]), siue amplissimo sensu auctorem Salutis, Messiam[5]):

vel, credere, per et propter eius mortem quaeri, exhiberi et accipi χάριν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ σωτηρίαν, ideoque promissionibus, de eius morte exstantibus, niti, bona ob eam promissa confidenter ob eam sperare[6]).

Est etiam *credere in Deum*, *Christum*, simpliciter, fiduciam in eo collocare respectu vllius cuiusdam rei[7]).

1) Pearson. expos. symb. apostol. p. 26.

2) Io. 2, 11. 23. cf. Exod. 14, 31.

3) Io. 12, 44. cf. 2 Chron. 20, 20. Ergo etiam πιστεύειν εἰς χρ. et τῷ χριστῷ permutantur. Io. 8, 30. 31. Act. 16, 31. cf. v. 34.

4) Io. 6, 40. et 17, 20. Cf. programma ad Io. 12. in diss. Vol. II. p. 111.

5) 1 Io. 5, 13. Gal. 2, 20. πίστις τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.

6) vid. not. 2 et 3. huius paragraphi.

7) Io. 14, 1. vbi non differt ab illis, πεποιθέναι et ἐλπίζειν ἐπὶ τῷ θεῷ. 2 Cor. 1, 9. 1 Tim. 4, 10.

8. Haec hactenus descripta fides[1]) in quo est, is adipiscitur paratam oblatamque salutarem gratiam (§. 1). Hoc ibi quoque, et certo quidem respectu ad aliquod genus gratiae docemur; vbi vno verbo *iustificari* homo dicitur fidei causa: hoc est, vbi dicitur homo

vel censeri a Deo pius mente[2]), h. e. talis animo, qualis esse debet[3]), quippe dictis a Deo assensum praebens, ideoque probari Deo[4]) vt pius mente, vt talis animo, probatusque nanciscí *felicitatem vl-*

lius generis[5]), quia dictis a Deo ex vllo genere assensum praebuit[6]):

vel censeri a Deo pius mente, h. e. talis animo, qualis esse debet, quippe doctrinam Dei cum assensu suscipiens, ideoque probari a Deo, vt pius mente, vt talis animo, probatusque *adipisci* omnia *doctrinae christianae emolumenta*, quia doctrinam christianam cum assensu suscepit[7]):

vel censeri a Deo pius mente, h. e. talis animo, qualis esse debet, quippe promissionibus, morti Christi annexis, fidem habens, et iis adquiescens, ideoque probari a Deo, vt pius mente, vt talis animo, probatusque *nanciſci veniam peccati*, quia Christi mortem est amplexus, promissionibus morti Christi annexis, fidem habuit[8]), iisque adquieuit[9]), de iis non dubitauit, eas non impie respuit.

1) Cf. §. 3. et 7. et Schol. ad §. 7.
2) Haec est (*grammatica*) Latinior versio, illius loco, *declarari iustum*.
3) Haec est versionis grammaticae periphrasis. cf. §. 5. not. 1.
4) Hoc est connotatum.
5) Hoc est consequens.
6) Genes. 15, 6. coll. Genes. 22, 12. 18.
7) Hic est in libris N. T. *amplior sensus verborum*: ἐκ πίστεως δικαιοῦται ὁ ἄνθρωπος: Gal. 3, 11. it. 3, 8. 9.

it. 3, 21. In omnibus his locis partim ὁ πιστεύων est, qui amplectitur omnem doctrinam christianam, oppositam Iudaicae legi et oeconomiae: partim δικαιῶν et ζωοποιῶν (felicitatem largiri, atque δικαιῶσθαι et ζῆν (felicitatem adipisci) permutantur, vt genus et species, vt connexa: vt et Gal. 3, 8, 9. δικαιῶσθαι et εὐλογεῖσθαι sic permutantur: quae εὐλογία v. 14. describitur. Adde hoc: Iudaeos audiuisse, ὁ ποιήσας τὸν νόμον ζήσεται, ideoque voluisse lege obseruanda δικαιῶσθαι (seu ζῆν). Nunc in contrarium docentur, τῇ πίστει τὸν ἄνθρωπον δικαιῶσθαι.

8) Cf. Crusii Plan des R. G. p. 147. *weil und wie fern* etc.

9) Hic est in N. T. libris *angustior sensus verborum*: ἐκ πίστεως δικαιῶται ὁ ἄνθρωπος: Rom. 3, 21 sqq. In hoc enim loco partim ἡ πίστις v. 25. definitur, vt sit πίστις ἐν τῷ αἵματι Χριστῦ: partim δικαιῶν v. 25. explicatur, vt sit, dare peccati veniam, atque deriuetur e Psalmo 32. (Rom. 4, 6.), habeatque effectum hunc, vacuitatem a metu (Rom. 5, 1). Ideoque ὁ Θεὸς δικαιῶν (Rom. 3, 26.) est absoluens, seu ὃ κατακρίνων (Rom. 8, 33): et ἡ δικαιοσύνη τῦ Θεῦ est absolutio Dei, quae fit a Deo (Rom. 3, 21. 26. it. 1, 17. Phil. 3, 9.): et διακονία δικαιοσύνης est munus docendi hoc, Deum absoluere (2 Cor. 3, 9). Ceterum monent theologi, fidem iustificare non quatenus est qualitas animi, sed quatenus Christum respicit. Cf. supra §. 5. et Chemn. Loc. T. 2. p. 274. Storr über den Brief an die Hebr. p. 399.

9. *Iustificatio*, angustiore sensu dicta (v. not. 9. §. 8.), sic definiri poterit: esse *beneficium Dei, dantis veniam peccatori, promissiones propter mortem Christi exhibitas admittenti cum fiducia.* Ita tum, cum homo iustificatur (absoluitur), verum est et valet iuxta

mentem Dei de hoc homine, qui iam nititur Christo, quod verum esse et valiturum de omnibus, nitentibus Christo, Deus decreuerat, declarauerat, promiserat. Decretum illud Dei, sic fore, et promissio, in vniuersum in SSa exstans (cf. p. 53.), applicatur nunc nominatim ad hunc hominem, ad eumque pertinet. Quodsi iam sentit, se metu Dei carere, et tranquillo animo Deum cogitare (Rom. 5, 1.), habet hoc signum et documentum, vnde certo nouit, se esse iam iustificatum iuxta mentem (decretum et promissionem) Dei. Sic per iustificationem hominis nulla in Deo accidit mutatio (cf. p. 54.); nec administratur a Deo peculiaris actus, vt in foro a iudice absoluente. Aeternum decretum, et exstans semper vera declaratio et promissio, in singulari *homine* aliquo *mutato* locum habet, ita volente Deo valet, ad eum hominem applicatur.

Haec iustificatio, angustiore sensu dicta, in scholis interdum sic definitur: *esse actum* (forensem) *Dei, non imputantis homini peccatum.* Quidam addunt: *imputantis homini meritum seu iustitiam Christi.* (De sensu verborum *iustitia Christi imputata* v. LL. SS. p. 125. 684.) Sed haec definitio κατὰ πόδα eget nouis singulorum verborum definitionibus. Eam scienter tractauit Musaeus (Erklärung der Ien. Theol. p. 586 sqq.) Cf.

Gerhardi Loc. T. 3. p. 431. De formula, *iustitiam Christi nobis imputari*, v. Boerner inst. th. symb. p. 450. sq. vbi monet, eam his totidem syllabis expressam non legi in SSa, rem tamen, quae exprimatur hac formula, ibi verbis aliis expressam exstare.

Haec doctrina, homines fidei causa iustificari, quam scholastici complures plane praeterierant, Pontificii autem incommode et ambigue explicarunt (v. LL. SS. p. 120), a Protestantibus reuocata et asserta est, dum docuerunt, reuera legi in SSa phrasin, *homines iustificari*, hoc nominatim sensu, *homines absolui* (seu adipisci veniam peccatorum) *propter fidem in Christum*, (siue quia accipiant et apprehendant promissiones, eius morti annexas) ideoque veniam adipisci, vt sponte oblatum, merum beneficium. v. LL. SS. p. 60—144. p. 586 sqq. Chemnit. Ex. conc. Trid. p. 127. Gerhardi confessio cathol. p. 1452.

[Si grammaticam obseruationem, quantumuis notam, addere hic quoque licet: constat, δικαιόν τινα diuersis modis dici. Est ergo δικαιόω τινα

vel declaro s. pronuntio insontem, absoluo, ipsaque re specto et tracto, vt insontem, liberum poena dimitto. Deut. 25, 1. 1 Regg. 8, 32. Prov. 17, 15. Matth. 12, 37. 2 Cor. 3, 9. Act. 13, 38. vbi v. 39. syn. est ἀφιέναι. (Hunc significatum veteres appellarunt forensem).

vel declaro et censeo pium, talem, qui facto se gessit, vt debuit, ipsaque re specto et tracto, vt talem, exorno beneficio. Iac. 2, 24. 25. Ebr. 11, 7. Rom. 2, 13.

vel emendo aliquem, probum reddo. Dan. 12, 3. Apoc. 22, 11. cf. vers. Alex. Ps. 73, 13. ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου. (Hunc significatum scholastici nominarunt physicum).

Hinc formulae: *Factum* aliquod נֶחְשַׁב לִצְדָקָה, *censetur pie factum*, ac proinde remuneratur, vt pie factum.

ctum. Ps. 106, 31. Deut. 24, 13. Item: *Fides*, alicui נֶחְשְׁבָה צְדָקָה, *censetur pietas* mentis, *pie habita Deo*, probaturque vt talis, exhibendo id, quod promissum est. Gen. 15, 6. Rom. 4, 6. Rursus formula plane singularis, Rom. 4, 6. Θεὸς λογίζεταί τινι δικαιοσύνην χωρὶς ἔργων, h. e. (vt ego opinor) *Deus destinat alicui absolutionem*, (hat sie ihm zugedacht, erkennt sie ihm zu) vult eum absoluere, etsi non exacte fecit homo, quae debuit: talis enim erat Dauides, de quo sermo est, et tale tamen beneficium Deus ei voluit exhibere exhibuitque. cf. Storr de sensu vocis δίκαιος et cognatarum in N. T. Tubing. 1781.]

10. Vbi porro Paulus docet, Deum homines fidei causa iustificare[1]): ibi illud simul contra Iudaeos vrget[2]), causam huius iustificationis non quaerendam esse in obseruatione vniuersae legis Iudaicae[3]): idque propterea,

quia gratia Dei, seu venia peccati (iustificatio), et commoda christianae religionis (εὐλογία), ad peccatores, quia peccatores sunt, pertinet[4]), ideoque etiam ad paganos, qui expertes tamen Mosaicae legis sunt, eique non obstricti: [vnde non suspensa esse haec gratia potest ex lege Mosaica, et oeconomia, vni genti propria, ne pagani excludantur, neque vlli homini, qui peccauit, aditus et spes praecludatur[3]); sed lex et oeconomia haec potius cessat[6]), et introducitur

alia conditio, πίστις, quae apud omnes nationes locum habet.]

quia haec lex, in moralibus nominatim, reuera non obseruatur exacte ab vllo homine, ne a Iudaeo quidem[7]), ac proinde omnes venia egent: [vnde in manca eius obseruatione causa veniae non quaerenda est[8]), sed potius relinquitur causa culpae[9])].

Inde concludit Paulus, iustificationem, h. e. nominatim veniam peccati, omnibus peccantibus veniaque egentibus destinatam, esse simpliciter habendam pro beneficio, omnibus sine discrimine peccatoribus sponte oblato[10]), non pro praemio, certis certarum rerum obseruationibus praegressis quaerendo demum et conciliando.

1) Cum ampliore sensu, *probare, felices reddere, beneficiis ornare*: tum angustiore sensu, *peccata condonare.*

2) Loci sunt Rom. 3. et 4. et 10. Gal. 2. et 3. Phil. 3. Iudaeos autem edocere vult, ne se solos, exclusis paganis, censeant δικαιοῦσθαι (Rom. 3, 22), atque, ne spernentes beneficium, quasi superfluum, se dicant πάντα ποιῆσαι, τί ἔτι ὑστεροῦμεν (Matth. 19, 20. (Rom. 3, 27), se posse στῆσαι τὴν δικαιοσύνην ἑαυτῶν (Phil. 3, 9. Rom. 10, 3). Ergo eorum securitatem et fastum compescere vult.

3) ἐκ ἐξ ἔργων νόμε, χωρὶς ἔργων νόμε, χωρὶς νόμε, nullo respectu ad haec, vt ad causam aut fundamentum.

Vniuersa lex, h. l. omni ambitu spectata. Aliter enim Iudaei (contra hos autem disputatur) νόμον non dicunt: nec nos debemus inferre nobis vsitatas notiones. Cf. App. de leg. et ev. §. 4. et Bengel. Gnom. ad Act. 13, 39.

4) Rom. 3, 22. 23.

5) Rom. 3, 27 sqq. Gal. 3, 26.

6) Non iniungitur et postulatur amplius, vt obseruetur. Rom. 3, 21. et 10, 4. Gal. 3, 25.

7) Vid. vtique Rom. 3, 9—20. Hic ergo non ritualia et πολιτικὰ describuntur; sed ἁμαρτίαι proprie dictae, quales eodem sensu et modo a Iudaeis et paganis patrantur, et ibid. a v. 10. ad 19. recensentur. Et has ob ἁμαρτίας omnes nationum omnium homines egent venia, has ἁμαρτίας omnium nationum Deus condonare vult propter πίστιν. Cf. Buddei Misc. Sacr. Pars 2. p. 248 sqq.

8) Rom. 3, 20. διότι — *proinde* (quia nemo in moralibus satisfacit legi, sed omnes varie peccant) *nemo*, quasi satisfecerit omnibus, *expers culpae censeri potest, si ad ἔργα νόμου respicere velit.*

9) πᾶς κόσμος ὑπόδικος τῷ θεῷ. Rom. 3, 19.

10) Rom. 3, 24. et 10, 3. et de paganis nominatim. Ephes. 2, 8 Tit. 3, 5. Debemus ὑποτάσσεσθαι τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ, accommodare nos huic rei, ὁ Θεὸς δικαιοῖ, ὁ ἄνθρωπος δὲ δῶρον καὶ χάριν λαμβάνει, non autem stabilire vtique illud, ἐγὼ ἐμαυτὸν δικαιῶ, et commerui commoda. Phil. 3, 9.

Cf Cottae disp. de iustificatione: inserta T. 7. Locorum Gerhard. p. 318.

11. Ne quis vero hac doctrina (§. 8. 9.) abutatur, aut ad pietatis segnitiem, aut ad denegandam pietati omnem spem praemii:

constanter annectitur illi doctrinae altera, de christianae sanctitatis et vitae, conuenientis cum doctrina, necessitate, cum propter officium[1]), tum propter fructum et vtilitatem, sitam nunc quidem potissimum in tranquilla spe diuinae beneuolentiae[2]), sed manantem quoque post vitam, in terris his exactam[3]), in omne aeuum.

1) Officium (obligatio ad sanctitatem), per se insolubile, (quippe quod nititur intellectu et voluntate Dei immutabili), non tollitur, nec potest tolli, per beneficium: et, accepto beneficio, manent omnes hominis cum Deo, cum aliis, cum semet ipso, necessitudines (relationes): et sanctitas est pars operis, quod Deus per Filium suum, Doctorem, Seruatorem et Dominum peragit (Ephes. 1, 4. et 2, 10. et 5, 25 sqq. Gal. 1, 4. 1 Io. 1, 7. Tit. 2. 14.), quippe inter scopos varios operis illius enumeratur. Ergo Rom. 6. et 2 Cor. 6. et 7. hoc ipsum officium annectitur loco de venia, vt beneficio mero: et Gal. 5, 6. character christiani est, πίστις δι' ἀγ. ἐνεργ.

Cf. LL. SS. p. 18. 85. 336. 589. 701. Rambachs Vorrede zur Abbildung der ganzen Pflicht des Menschen (plag. 2. et 3). Crusii theol. moral. p. 606.

2) 1 Io. 3, 19. 20. 21. ibid. 4, 17.

3) Phil. 3, 14. post locum de beneficio illo docetur, nitendum esse πρὸς τὸ βραβεῖον. Quoties promittitur τοῖς ἔργοις remuneratio! 1 Tim. 4, 8. Hoc fructu excidit, qui non facit, quae possunt remunerari. LL. SS. p. 96.

Mors Christi, veniam afferens, et fides, veniam accipiens, sunt id, propter quod tu, etsi peccator, nec vnquam perfectus (moraliter), tamen potes

olim vacuus miseria felicitatisque compos esse, atque etiam futurus es. Sanctitas, siue sensus et vita, conformis doctrinae religionis, est id, propter quod tu, ob fidem non miser sed felix futurus, hoc vel illo genere et mensura (gradu) felicitatis frui potes, et fruiturus es, quoad in te nominatim cadit felicitas. (Nösselt über den Werth der Moral. p. 136 sqq. Storr über den Brief an die Hebr. p. 379 sq. cf. infra Part. 7. §. 7. Schol.) Hinc futura salus modo dicitur χάρις, beneficium; modo futura sors beatior describitur vt μισθὸς vitae ante actae.

Docent ergo Paulus (Rom. 2, 13.) et Iacobus 2, 14 sqq.), priuari aliquem omni spe praemii et praemio, qui torpescat ad vitam agendam doctrinae conuenienter, praetexens hoc, se scire religionis doctrinam (ἀκροατὴς), persuasum sibi de ea habere (πίστιν ἔχων), eamque profiteri, et diuellens fidem a factis, quae tamen arcte cohaerent: cum doctrina, etiam doctrina de gratia Dei, ideo discatur, suscipiatur, fidesque ideo adsit, vt gignat iuuante Deo recte facta.

Ceterum epistola Iacobi non est comparanda cum epistolarum Paulinarum iis locis, vbi contra Iudaeos et ἔργα νόμου dicitur: in his enim locis Paulus πίστιν, δικαιοῦσθαι et ἔργα νόμου alio significatu dixit, quam Iacobus dixerat haec tria verba, scribens aduersus Christianos, opinione persuasionis sufficientis deceptos, et ad virtutem, ἔργα καλὰ, segnes. Comparentur modo scriptores ambo ibi, vbi vere *de eadem re* loquuntur, et *eiusdem generis homines* obiurgant aut edocent: ita erit nullum eorum disfidium, ἐναντίωσις nulla.

Haec doctrina, de mentis et vitae ad religionis doctrinam conformandae necessitate, cum a doctoribus ecclesiae his etiam verbis exprimi soleret, *bona opera esse ne-*

cessaria: coepit admodum ambigue explicari [1]), cum in verbo *necessarius*, tum in altero, *bonum opus*: coepit item huc nominatim trahi, vt, qui illam his maxime verbis exprimerent, *bona opera ad salutem necessaria esse*, hi indulgere existimarentur aliquid pontificiae de bonis operibus [qualia quidem illi dicunt, et vt meritoria describunt] sententiae. Hinc magnae rixae obortae sunt, nobilitatae potissimum Ge. Maioris et Nic. Amsdorfii nominibus [2]). Has composuit Concordiae Formula [3]), dissuadens duos loquendi modos, vt poma Eridos iacta, et improbans opinionem de necessitate operum bonorum, *vt causae meritoriae*, ad δικαίωσιν, seu peccati veniam salutemque.

1) v. Hülsemanni extensio breuiarii theol. p. 181.

2) v. Musaei praelect. in Form. Conc. p. 181. Walchii introd. ad LL. SS. p. 794. Ei. Einleitung in die Religionsstreitigkeiten. T. I. p. 98.

3) Pag. 698. cf. p. 335. Prudenter ergo Gerhardus (qui in Locis T. 4. p. 10 sqq. rem omnem persecutus est) iudicauit (ib. p. 23. §. 46.): *Sequi τὸ ἑνωτικὸν iudicamus, ab illa propositione, velut ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων non satis congrua, abstinendum esse.* Ostendit ibidem Gerhardus, fuisse, qui rem sic componi posse censerent, si opera bona dicerentur non quidem ad peccati veniam, sed ad salutem tamen aeternam necessaria.

PARTIS QVINTAE

CAPVT II.

De notione et natura immutationis moralis siue emendationis studiorum animi et vitae.

I.

Ab his, qui propositam assensui (fidei) doctrinam cognoscunt, veniamque ibi oblatam appetunt, et frui iam omnino salute volunt, postulat doctrina diuina non modo illum vniuersum assensum, paulo ante descriptum; sed, vt promissiones veniae nominatim suas facere, iisque cum fiducia assentiri possint, flagitat etiam, ab initio et in progressu, immutationem (conuersionem) iudiciorum, studiorum, voluntatumque animi, et vitae immutationem [1]), hoc est, *indolem animi et rationem vitae, compositam ad normam doctrinae, contrariamque superiori indoli et vitae*, quae abhorruerat ab illa doctrinae norma. Illa mutata indoles animi et vita vbi est, ibi est *emendatio* (moralis mutatio in melius)[2]). Postulat autem doctrina diuina haec, vt effectum susceptae doctrinae necessarium[3]) et beneficium[4]), et conditionem fruendi salute, cum nunc, tum olim[5]).

1) Summatim hoc dicitur Ephes. 4, 1. 17. 20. cf. Rom. 2, 13. 17 sqq. Iac. 1, 22 sqq.

2) *Conuersio* in vniuersum. Eam veteres dixerunt *primam* (ab initio, vt ita conuersi possint suas facere promissiones) *et continuatam* (in progressu, vt, veniam nacti, huic beneficio conuenienter se animo et vita gerant). Illa dicitur die Busse: haec die Besserung: ambae, die Sinnes- und Lebensänderung. Haec omnia hoc loco intelligi in vocabulo emendationis volo, non autem tantummodo alterum (die fortgesetzte Bekehrung, thätige Besserung.)

3) 2 Petr. 1, 3 sqq. Cf. p. 212. §. 11. not. 1.

4) Act. 3, 26.

5) Ebr. 12, 14. 1 Io. 1, 7. et 3, 3. cf. p. 212. not. 5.

2. Mutatio indolis animi, seu mutatio iudiciorum, sensuum, studiorum, propositorum; continetur his partibus:

Redire ad se aut resipiscere[1]), h. e. postquam e doctrina SSae peccatum omnino agnouimus[2]) esse abnorme[3]), culpam contrahens[4]), et varie noxium[5]), *mutare* nuperum de eo *iudicium*[6]), et *iam* cum persuasione statuere et *iudicare*, peccatum esse, vti agnoueramus, reuera, cum omnino, tum in nobis ipsis singulis nominatim, abnorme, culpam contrahens, et varie noxium, ideoque semet ipsum ἀξιόποινον censere[7]), *concedere*[8]) sine excusatione et exceptione, esse peccatum nostri ipsorum quodlibet ἄνομον, culpam

afferens et noxium, et vt tale *improbare*, idque cum dolore, seu cum poenitentia et animi demissione[9]):

Sentire necessitatem veniae, (id quod ad quaerendam Dei gratiam, deprecationem et fidem in Christum ducit) tum vero etiam emendationis, (id quod fundamentum boni propositi ponit)[10]):

Censere veniam beneficium merum et magnum[11]), illud confidenter amplecti, et redamare euergetam, qui condonare vult, et qui vitam deposuit pro peccatoribus:

Censere emendationem magnum bonum:

Proponere sibi, aliter appetere et se gerere, h. e. conuenienter doctrinae: (Gott gehorchen und gefallen wollen)

Propendere ad bonum cum perpetuo respectu aa doctrinam: (Neigung und Lust, williger Gehorsam)[12])

Studio ferri ad bonum cum respectu ad doctrinam perpetuo: (Streben, Eifer, Beflissenheit)[13])

Alienum a malo esse, illud non appetere, non facere, et contra niti[14]).

Est ergo haec indoles non modo composita ad normam doctrinae; sed etiam contraria indoli superiori, siue vitiositati aut imperfectioni morali, hoc est, emendata indoles (cf. §. 1).

1) Luc. 15, 17. Ierem. 8, 6. et 31, 19.
2) Ier. 3, 13. Ps. 51, 5.
3) 1 Io. 3, 4.
4) 1 Io. 1, 8. 9. 10. Ier. 2, 35. Ps. 32 tot. Rom. 3, 20.
5) v. locus de hom. imperfectione §. 3. sqq. p. 109.
6) Rom. 6, 21. (Andre moralische Grundsätze, als sonst.)
7) Ita miseriam nostram agnoscimus.
8) Concedimus τῷ λόγῳ τε Θεε, quae docet de peccati natura in vniuersum, eadem de nostris ipsorum peccatis eodem modo vera esse: nec obloquimur Deo, aut nos ipsos fallimus. 1 Io. 1, 10.
9) 2 Cor. 7, 9. 10. λύπη. cf. exempla 1 Tim. 1, 13 sqq. 1 Cor. 15, 9. Luc. 15, 19. et 18, 13.

Hi coniuncti cum agnitione et improbatione *sensus* (dolor, moeror, poenitentia, demissi animi pudor, metus) dicuntur vulgo, Latinitate ecclesiastica, ex Hebraicis ad verbum expressa, *contritio*. (cf. Ps. 51, 19.) Poterat etiam cum Paulo (2 Cor. 7, 8 sqq) dici μεταμέλεια et λύπη. Saltem Germanica versio vocabuli contritionis, *Reue und Leid*, indicat, nihil aliud exprimi verbo contritionis quam quod significat λύπη.

Etsi autem in illo psalmi loco verbum σημαντικώτερον est: tamen nullo modo possunt hi sensus esse apud omnes iidem gradu, aut ab omnibus iidem animi dolores idemque moeror postulari. Illud necesse est ad *dolorem*, vt quis, agnito vere peccato, serio sentiat. *Vtinam ne abnormia a Dei*

voluntate, et noxia mihi, fecissem! et ad *demissionem animi, vt concedat, se culpam commeruisse*, non beneficium. Hoc vbi est, ibi est λύπη et μεταμέλεια peccatoris. Talis animus, sentiens miseriam et veniae necessitatem, circumspicit χάριν, et talem animum erigit atque placat fides, habita promissae gratiae Dei in Christo. Cf. p. 203. §. 7.

Hi ipsi sensus, agnito vere peccato exorti, haec ipsa de peccato iudicia, haec eius improbatio, haec confessio ἀξιοπιστίας, (quae modo descripsi, et in programm. de homine Deo se submittente in dissf. Vol. II. p. 123 sqq. vberius exposui,) sunt *confessio peccati*, quoad Deum spectat, in qua mentis iudicium et sensus sunt caput rei, oris prolocutio tantum accessio, proferens id, quod in mente est. Ps. 32, 5. 1 Io. 1, 8 sqq. Ierem. 2, 35. LL. SS. p. 182.

10) Cf. Locus de hom. imperfectione. §. 7. p. 111.

11) Rom. 3, 34. Ps. 32, 1. *Fit Deus peccatori obiectum amabile.* LL. SS. p. 83. 84.

12) Rom. 7, 22.

13) 2 Petr 1, 5 sqq.

14) Gal. 5, 17. 24.

3. Ad hanc indolem animi ducunt proxime et directe haec doctrinae diuinae capita: de agnoscendo peccato, de miseria peccati, de gratia Dei in Christo, de principiis moralibus, de officiorum natura et argumentis, de futura pietatis remuneratione: quamquam omnis omnino doctrina, et singula eius capita, suo quaeque modo, conferunt.

4. Haec indoles animi est illud intrinsecum[1]), a quo inchoat religio christiana

emendationem, quod esse vult fundamentum singularum bonarum qualitatum animi[2]), et quod tantopere vrget, sine quo feliciter succedentis et stabilis emendationis atque sanctitatis nulla spes est. Si alicunde ordiaris emendationem, vndecumque demum, non funditus sanatur imperfectio moralis.

1) πνεῦμα. Rom. 7, 6. Gal. 5, 16. 17. καρδία saepe. cf. Rom. 2, 29. ὁ νᾶς, ὁ ἔσω ἄνθρωπος. Rom. 7, 22. 23. Quoad appetitionem boni nominatim, φρόνημα πνεύματος. Rom. 8, 5. 6. φρόνησις χριστ. Phil. 2, 25. φρόνησις δικαίων. Luc. 1, 17. πνεύματι ζῆν, belebt und thätig werden, das innere Leben. Gal. 5, 25.
2) Gal. 5, 22.

5. Hac tali indole animi praeditus potest demum transire ad facta, congrua doctrinae*), et contraria superioribus (§. 1.), quae tam serio postulantur.

*) Ephes. 2, 10. Ebr. 13, 21. ἔργα καλὰ et ἀγαθά, Iac. 1, 4. ἔργον τέλειον. Matth. 3, 8. καρπὸς μετανοίας.

6. Constare autem hanc omnem immutationem his partibus, confirmant etiam *nomina* eius permulta, quibus SSa vti solet: *Conuersio*, Μετάνοια, *Renouatio* (noua creatura, nouus homo), *Regeneratio*, *Sanctificatio*: quae omnia nomina, ex vsu loquendi SSae, eamdem in vniuersum rem, *moralem*

immutationem, etsi vario respectu et modo[1]), exprimunt; nullo autem modo sic per certas significationes vbique distincta sunt, vt vbique in singulis peculiare quid, certa species generis, vel pars totius, sit intelligenda, et vt nusquam συνωνύμως permutentur[2]). Nam indicant

aut immutationem animi, siue transitum a morali imperfectione *animi* ad moralem eius perfectionem, [ἐπιστροφὴ Luc. 1, 17. Matth. 18, 3. μετάνοια Luc. 3, 8. Apoc. 2, 5. ἀνακαίνωσις, Ephes. 4, 23. 24. ἀναγέννησις 1 Petr. 1, 23. (vbi v. 22. ἡγνισμένος τὴν ψυχὴν synonymum est), ἁγιασμὸς τοῦ πνεύματος 1 Thess. 5, 23.]

aut immutationem vitae, siue transitum a male *factis* ad recte *facta*. [ἐπιστροφὴ Ezech. 18, 21. μετάνοια 2 Cor. 7, 9. 11. ἀνακαίνωσις Rom. 6, 4. ἁγιασμὸς σώματος 1 Thess. 5, 27. 1 Petr. 1, 15.]

aut vtrumque, immutationem *et animi et vitae* in melius, [μετάνοια Matth. 9, 13. Luc. 15, 7. Matth. 3, 3. (quod in LL. SS. p. 320. bene explicatur: *fiatis alii et faciatis aliter*). תשובה Iesa. 55, 7. ἀνακαίνωσις Tit. 3, 5. ἀναγέννησις Io. 3, 6. (e σαρκικῷ fieri πνευματικόν). Et

vt Iesus h. l. ab ingressuris regnum caelorum postulat ἀναγέννησιν, sic Matth. 4, 17. ab iisdem postulat μετάνοιαν. Sunt ergo μετάνοια et ἀναγέννησις his in locis res eadem.]

aut transitum a Iudaismo et paganismo ad christianismum, mutatam de religione persuasionem, mutatam religionis professionem, mutatum exercitium. [ἐπιστροφὴ 2 Cor. 3, 16. Act. 14, 15. et 15, 3. 19. et 26, 8. μετάνοια Act. 2, 38. et 11, 18. et 17, 30. et 20, 21. ἀνακαίνωσις 2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15. coll. 5, 6. ἀναγέννησις Iac. 1, 18. ἁγιασμὸς 1 Cor. 1, 2. 1 Petr. 2, 9.]

1) Latius, angustius. Item tropis diuersis, et origine troporum diuersa, e comparatione cum rebus diuersis.

2) Cf. Erneſti biblioth. theol. multis in locis. Zachariä bibliſche Theologie. Vol. 4. Tittmannus de vocabulis oeconomiae salutis. Viteb. 1776.

Corollaria.

1. In systemate tamen theologico haec eiusdem rei nomina discernuntur, et singulis sua angustior significatio tribuitur, docendi causa, vt singulae partes illius immutationis moralis distincte notentur et explicentur. Ergo ex hac methodo

Regeneratio est donatio fidei, aut secundum alios, donatio fidei et virium sancte viuendi.

[In se, et vsu loquendi, atque analogia linguarum, *regenerari* aut *denuo nasci* omnino est, e statu deteriore et tristiore transferri in meliorem et laetiorem. Haec vniuersa notio in singulis locis singulatim, accommodate ad rem, de qua dicitur, finienda (determinanda) est.]

Conuersio est effectio poenitentiae seu doloris de peccato: aut, secundum alios, effectio poenitentiae, fidei, propositi boni: aut, iuxta alios, effectio poenitentiae, fidei, propositi, et ipsius melioris vitae adiunctio.

Poenitentia (μετάνοια) est contritio et fides[1]: (quae descriptio opponitur pontificiae descriptioni[2]) poenitentiae) aut, iuxta alios, contritio, fides, vita sanctior[3]).

1) LL. SS. p. 12. 161. 319. Gerhardi Loc. theol. T. 3. p. 211 sqq.

2) Ea disci potest etiam e LL. SS. p. 321. sed potissimum e Bellarmino de poenitentia. Add. Cotta ad Gerhard. Loc. T. 6. p. 344. in disp. de attritione et contritione.

3) LL. SS. p. 165. 168.

Renouatio aut sanctificatio est effectio propositi vitaeque melioris. Hanc quoque nouam obedientiam dicunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0253
DFG

2. Latina verſio verbi μετάνοια (vertitur autem poenitentia) non vbiuis exhaurit rem, verbo Graeco expreſſam (cf. §. 6.): atque adeo notio poenitentiae anguſtius dictae (Reue) 2 Cor. 7, 8 ſqq. per verba μεταμέλεια et λύπη potius exprimitur, eamque ſequi dicitur μετάνοια, h. e. emendatior animi ſenſus et vitae ratio. Non ergo ei verſioni inhaerendum eſt, quoties μετάνοια occurrit; ſed ad Graecum verbum (*aliter ſtatuere, aliam ſumere ſententiam, corrigere ſuperiorem ſententiam*) et orationis ſeriem reſpiciendum: vt non inhaerendum eſt Germanicae verſioni, *die Buſse*: quae adeo κατ' ἐτυμολογίαν falſam ideam exprimit. Nihil luimus tum, cum μεταμελόμεθα, λυπάμεθα, μετανοοῦμεν, ſed magno beneficio beamur: etenim λυπάμεθα εἰς σωτηρίαν: neque ille ſenſus λύπης habet vim inflictae ſibi ab homine poenae, aut ſatisfactionis pro peccatis, et meriti ad veniam. (cf. apol. conf. Aug. c. 5. et 6.)

PAR-

PARTIS QVINTAE

CAPVT III.

De doctrina diuina, adminiculo fidei et emendationis.

I.

Ad fidem, et emendationem indolis et studiorum animi rationisque viuendi, interdum ducere nos dicitur doctrina diuina vniuersa [1]): interdum Deus Pater, Filius, et Spiritus, et hic quidem Spiritus nominatim [2]): interdum vtraque causa coniunctim nominatur [3]). Inde oritur hoc dogma: *Deus nos per doctrinam suam ad fidem emendationemque ducit* [4]). Inde doctrina appellatur adminiculum [5]) fidei et emendationis, quo Deus vtitur.

1) Rom. 10, 17. et 8, 2. Io. 8, 32. Act. 20, 32. 1 Petr. 1, 23.

2) Cf. §. 4. Appellatur ergo omnis ἐπιστροφὴ opus Spiritus Sancti nominatim, quem Pater et Filius dant et mittunt, vt impertiat homines hoc beneficio (Ephes. 1, 17. et 3, 16. Rom. 15, 13.), in quem Spiritum, vt huius beneficii datorem, baptizamur. Cf. 2 Cor. 13, 13. it. Locus de Patre, Filio et Spiritu §. 1. 2. p. 59. it. §. 11. p. 66.

3) Iac. 1, 18. 2 Petr. 1, 3.

4) Ergo, vbi vna causa nominatur, ibi addenda altera. Io. 8, 36. coll. v. 32. 1 Cor. 1, 5. Act. 3, 26.

5) LL. SS. p. 11. art. 5. it. p. 583. Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 65 sqq.

2. Dum vero docemus, Deum per doctrinam suam nos ad fidem emendationemque ducere: intelligimus haec tria coniunctim:

Deum per doctrinam ostendere, quid et quare sit credendum, quae indoles animi et cur sumenda, quae vita et quare viuenda:

Deum per eamdem doctrinam remouere intrinseca homini impedimenta fidei et emendationis[1]):

Deum per eamdem doctrinam efficere, vt velint ac possint[2]) homines discere, credere, meliorem sensum sumere, melius vivere.

1) Ignorationem (Ephes. 4, 17.), errores, opiniones ante captas (τύφλωσιν, 2 Cor. 4, 4. σκότος Ephes. 4, 18.), τὸ ἐπιθυμητικὸν (cf. locus de imperf. gen. hum. mor. §. 2. p. 107 sq.), eiusque magnam vim, ortam ex his omnibus affectionem animi alieni a discendo et agendo (1 Cor. 2, 14. cf. supra p. 109. Io. 3, 19.), difficultatemque discendi et agendi. (Io. 8, 43. et 5, 44). Haec omnia Christus et apostoli remouerunt *docendo*.

Haec impedimenta sermo theologorum appellat defectum virium (credendi et se conuertendi), imbecillitatem naturalem (ex 1 Cor. 2, 14. Io. 5, 44. et 8, 43), renisum naturalem (ex Gal. 5, 17.), naturam. (v. locus de imp. gen. hum. mor. coroll. 1. et infra corollaria).

2) Docendo enim exhibens notitiam, docendo persuadens, facit, vt *possit* audientis animus discere, et assentiri, et agere (Luc. 24, 45. zur Einsicht bringen). Docendo describens modum, fructum, argumenta, adminicula agendi, et remouens impedimenta, facit, vt animus discentis *velit* probare, agere, omittere contraria. Cf. LL. SS. p. 671.

Hoc vtrumque, *Deus per doctrinam efficit, vt homines et possint et velint eam suscipere*, est in illo tropo, ἕλκυσι, Io. 6, 44. Ita ἑλκυσθέντες (ἀκούσαντες καὶ μαθόντες παρὰ τοῦ θεοῦ) ἔρχονται πρὸς τὸν χριστὸν (v. 45. cf. v. 35. πιστεύσαι).

Hoc sermo theologorum sic exprimit: Deus per doctrinam dat vires et ἱκανότητα (assentiendi his, quae docentur, probandi et expetendi ea, quae vt probanda et expetenda proponuntur). v. Coloss. 1, 12. non autem 2 Cor. 3, 5. aut Io. 15, 5. vbi de doctoribus religionis eorumque munere sermo est.

3. Igitur exhibuit nobis Deus doctrinam, aptum nobis[1]), aptum fini assequendo[2]) adminiculum, agitque nobiscum morali modo. Hinc vtendum est doctrina, h. e. discenda sunt, quae traduntur, cogitanda, repetenda, vt certior in dies et amplior fiat rerum diuinarum cognitio, ad singulas vitae partes et causas transferenda, semper animo praesentia seruanda, vt pietatis incrementa capiamus[3]).

1) Morali nostrae naturae. cf. p. 202. *Hinc equidem — —*

2) Vt assentientes imbuamur scientia, fruamur tranquillitate, vita factisque emendemur, et, ita praeparati futuris, olim reuera potiamur sempiterna

felicitate. Iac. 1, 21. Rom. 1, 16. 1 Cor. 1, 18. 24. 1 Petr. 1, 23. ὁ λόγος ζῶν.

Recte ergo dicitur doctrina habere per ipsum argumentum suum (Inhalt) vim et efficaciam ad haec omnia nos ducendi, siue, vt scholae loquuntur, vim illuminandi et conuertendi.

3) Luc. 8, 51.

Haec scire, sufficit ad vsum, ad pretium doctrinae statuendum, ad gratum erga Deum animum. Non autem necesse est, concertare de nomine, quo haec vis sit appellanda, de classe rerum, ad quam sit referenda. Vis illa doctrinae haud dubie est *moralis*, (a multis nominatur natiua) posita in ipso argumento doctrinae. Aliam vim, plane peculiarem, (eine besondre eigene Bekehrungs- und Erleuchtungskraft) diuersam cum ab hac morali vi, tum ab eo, de quo mox §. 4. dicetur, auxilio Dei, inhaerentem doctrinae qualitatem supernaturalem, inditam doctrinae inter inspirationem, nemo argumentis idoneis confirmauit, nec confirmare potest. (vid. omnino Musäi Erklärung der Ien. Theol. p. 60. Crusii theol. moral. p. 450.) Si quis vtique velit doctrinae adscribere vim *supernaturalem*, is intelligere debebit coniunctum cum vsu doctrinae auxilium Dei, quod fert vtentibus ea. (Cf. Crusius l. l. p. 447.) Multas multorum sententias collegit Bertling (Vorstellung, was die Lutherische Kirche von der Kraft der heil. Schrift lehre, und nicht lehre. Gedan. 1756.), qui et contra Schuberti librum (Unterricht von der Kraft der heil. Schrift. Ienae, 1753.) disputauit.

De Rathmanno v. Walchs Einl. in die Streit. der Luth. Kirche. Vol. 1. p. 524.

Ebr. 4, 12. ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ sunt *minae*, quae dicuntur efficaces, quia fit reuera, quod Deus minatur. Ier. 23, 25 sqq. דבר sunt *vaticinia vera*, quae euentu arguunt vanitatis et disperdunt mendacia. Ergo neuter

locus agit de vniuersa doctrina, aut de eius vi ad μετάνοιαν.

4. Proinde fides et emendatio est hoc sensu effectio seu *opus Dei* (§. 1.), quia Deus doctrinam nobis exhibuit adminiculum (§. 3). Sed et hoc sensu opus Dei dicitur, quia Deus nobis, vtentibus doctrina, per Spiritum suum fert auxilium, siue nostrum in vsu doctrinae studium successu secundat[1]), vt vsus doctrinae effectum habeat, quem habere debet et potest[2]).

1) 1 Cor. 3, 7. dum aliud alio tempore docetur et discitur, *largitur Deus successum*. Act. 16, 14. mulier dum audit, *secundante Deo* cognouit, cognitisque assensum praebuit. Rom. 15, 13. ad liquidam spem venitur *iuuante Dei Spiritu*. Ephes. 3, 16. 2 Thess. 2, 15. 16. 17. date vos operam constantiae, atque adeo *Deus vos reddat constantes*. Coniungitur ergo *auxilium Dei* cum hominis studio et nisu. Cf. ep. Iudae v. 20. 21. His locis disertis de hoc auxilio addatur, precibus experti tale auxilium (Ps. 119, 18. 27. et saepius): alterum alteri illud apprecari (Col. 1, 9. 10. 11. Ephes. 1, 15 sqq. Ebr. 13, 21. 1 Petr. 5, 10. Act. 20, 32.): cingi hominem infinitis impedimentis internis externisque: moneri nos (Phil. 2, 12. 13.), vt in nostro studio et opera (κατεργασία) simus verecundi, non tribuentes nobis solis omnia, ea de causa, quia proprie et ad extremum omnem *successum et fructum* debemus diuino beneficio.

2) Exposuit hunc locum Storr. de Sp. S. in mentibus nostris efficientia: v. Eius Opusc. th. Tubing. 1788.

Non magis in hac re, quam in vitae communis inceptis vllis, opus est, anxie definire, quid et quantum

Deus atque homo faciant, vbi aut quando Deus aut homo incipiat seu desinat, Deus solus agat, seu homo aliquid conferat. Vtamur doctrina, et operam demus pietati, laeti ac freti simul eo, Deum studia nostra secundaturum esse, vt doctrina, quae nos erudire et emendare potest, quae nobis erudiendis et emendandis destinata est adminiculo, per quam Deus erudire et emendare vult ac solet, etiam reuera nos, secundante Deo vsum doctrinae, erudiat et emendet. (Cf. Tittmann de opere Sp. S. salutari. Viteb. 1781.)

Sunt autem nihilo minus quaedam hic studiosius definita: veluti: *Deum in initio ἐπιτροφῆς solum operari* (scilicet primos motus et desiderium bonorum propositorum, die ersten guten Gedanken und Regungen, die ersten Erweckungen des Gewissens, die kräftigen Eindrücke ins Gemüth. Musaei praelectt. in Form. Conc. p. 111. 115. 122. Crusii Plan p. 135.): *hominem in progressu cooperari* (LL. SS. p. 578 — 583. 654 sqq.) cf. coroll. 3.

Sunt autem ideo sic definita, vt occurreretur Pelagianismo et Semipelagianismo (v. Buddei Misc. S. P. 2. p. 6 sqq.), componerenturque controuersiae synergisticae. v. Musaeus l. l. p. 88 sqq.

Ceterum cum nostri Deum solum ab initio illos motus operari dicunt: semper tamen ponunt, hominem audire et nosse doctrinam debere, et audientem demum scientemque affici a Deo (mediate) primis illis motibus.

Hoc auxilium Dei et Spiritus S. quod vtentibus doctrina fertur, varia subinde nomina accepit inter theologos: actio, operatio, concursus Spiritus Sancti (v. LL. SS.): eleuatio efficaciae moralis, quam doctrina habet (ita loqui visum est Calixto et Musaeo): vnio mystica Spiritus Sancti cum verbo: tractio (LL. SS. p. 582): tactus (Bertling. l. l. p. 223.): gratia: gratiosae Dei operationes.

5. Non possunt ergo probari, qui censent[1]), Deum ipsum, nullo vtentem admi-

niculo[2]), (immediate) edocere[3]) homines et immutare, atque vt hoc fiat, debere hominem se ab semetipso rebusque circumiectis abducere[4]), et totum se intrinsecus conuertere ad contemplandum[5]). Id si factum sit, hominem rediisse ad Deum, cum eoque vnitum esse[6]).

1) Sentientes ita et agentes dicuntur Fanatici et Enthusiastae, et quoniam, quidquid sibi contingere dicunt, id *inexplicabili* modo fieri contendunt, μυστικοί. (v. LL. SS. p. 331. Moshem. inst. H. E. p. 885 sqq. Gottlieb Wernsdorf von der mystischen Theologie. Viteb. 1729. I. P. Millers Einleitung in die theol. Moral. p. 339. 410.)

[Hominum eiusmodi vitas inseruit Godofredus Arnoldus libro huic: das Leben der Gläubigen. Halae 1701. Cf. Eiusdem historia theol. mysticae s. theosophiae. Francof. 1702.]

2) Hinc tantus contemtus doctrinae scriptae apud nonnullos illorum hominum. (v. Weigelii locus in Arnoldi hist. eccles. et haer. P. 2. p. 1093.)

3) Hos immediate docere dicunt lumen aut verbum internum (Einsprache).

4) Haec est via καθάρσεως, et νεκρώσεως ἑαυτῦ, et ἀναχωρήσεως.

5) Haec est ἀναθεώρησις.

6) Itur ergo per viam καθάρσεως ad φωτισμόν (immediatum, et κοινωνίαν μετὰ τῦ θεῦ, aut ἀποθέωσιν.)

Abutuntur illi homines locis SSae de illuminatione, Christo in nobis, habitatione Dei in homine, vnione hominum cum Deo.

Sed *illuminare* est edocere, siue dicatur de doctoribus (Iesa. 49, 6. Act. 13, 47. Io. 1, 9. Ephes. 3, 8. 9. cf. oculos aperire, Act. 26, 18.); siue de Deo (Ephes. 1, 18.): et ipsa doctrina dicitur φῶς (Io. 5, 35. Ephes. 5, 8.): et effectus φωτισμὸς est idem, qui λόγος, siue, est cognitio eorum, quae per λόγον cognoscuntur. (Ephes. 1, 18). Vbi Deus dicitur φωτίζειν, ibi theologi plures sic definiunt: *cum effectu edocet.*

Christus in nobis est vel religio Christi, inter nos nota (Col. 1, 27.), vel scientia religionis et sensus melior, inde ortus, quo singuli gaudent (Rom. 8, 10).

Habitatio Dei in homine est vel scientia religionis et indoles melior inde orta, quoad *peculium et possessio hominis* factae sunt, et sunt etiamnum, et manent. (Rom. 8, 9. 10. 11. Ephes. 3, 17.), vel diuina constans et perpetua erga tales homines beneuolentia (Io. 17, vlt. 14, 23.): quam quidem beneuolentiam theologi nominant gratiosas Dei operationes, ad continuanda et augenda spiritualia. *Homines sunt templum Dei*, significat, sunt ei consecrati, sacer ei coetus. (1 Cor. 6, 19. et 3, 17.) Hinc concluditur ex eo: *Ergo non sunt profanandi*, nec per alios, nec per se, h. e. non per scelera aut errores deducendi huc, vt desinant esse Deo sacri. *Ergo non sunt sui arbitrii in viuendo*, quasi non essent Deo sacri. 1 Cor. 6, 19. Origo formularum est e V. T. Leuit. 26, 11. 12. Ezech. 37, 26.

Vnio aut *communio hominis cum Deo* est ibi, vbi *homo nouit* Deum, *colit* Deum, ideoque cum Deo consentit (vnitus est) statuendo et agendo, *et Deus ei beneficia*, e cognitione cultuque orta, *exhibet*, ideoque ei adest, non alienus ab eo est. (Io. 17, 23. 1 Cor. 6, 17. 1 Io. 1, 3 sqq. et 2, 5. 6. et 4, 16.) cf. Dissertt. p. 236. Multos horum locorum interpretari docuit Turretinus de interpret. SSae. c. 3.

6. Nec ii possunt probari, qui, etsi magni faciunt doctrinam, eaque sedulo

vtuntur, tamen singulares, repentinos et acriores sensus, quos interdum experiuntur[1]), repetunt ab effectione Dei supernaturali et mystica, quae percipi queat, non explicari aliis; non autem deriuant ex vsu doctrinae ipso, aut aliis occasionibus: qui his sensibus constare vnctionem[2]), obsignationem[2]) et inhabitationem Dei in homine autumant, ad hos sensus nimium nituntur, hos cupidius exspectant, et in his propemodum arcem religionis sitam censent. Etenim praecipitant sententiam, dum sensus eos immediate a Deo effectos opinantur, quorum causam et occasionem aliam ipsi nesciunt, non animaduertunt, interdum nec scire, nec animaduertere volunt.

1) *Rührungen.* v. Spalding über den Werth der Gefuhle im Christenthum. Lipſ. 1769.

2) 1 Io. 2, 29. v. Disertt. p. 291.

3) Ephes. 1, 13. 2 Cor. 1, 22. v. Disertt. p. 356.

Cf. Nösselts Anweisung zur theol. Bücherkenntniss § 267 sqq. Rehkopfs Lehrbuch der christl. Moraltheologie §. 72.

Corollaria.

1. Diuturna fuit et multiplex controuersia, exorta inter Pelagium et Augustinum[1]), quid homo, destitutus doctrinae SSa com-

prehenſae vſu [2]) auxilioque diuino, ad vſum doctrinae accedente [3]), in rebus, pertinentibus ad religionem SSa comprehenſam, poſſit aut non poſſit ſcire, velle, agere.

1) vid. Pelagii epiſtola ad Demetriadem. Halae 1775. Voſſius in hiſtoria Pelagiana ſententias contrarias vberius expoſuit. cf. Buddei Miſc. S. P. 2 init.

2) cf. ſupra §. 2. 3.

3) cf. ſupra §. 4. Hoc non conceſſit Pelagius.

Cohaerebant autem haec cum iis disputationibus, de quibus monitum eſt p. 119. 120.

2. In ea controuerſia vſurpata ſunt nouo, et theologis proprio, ſignificatu potiſſimum haec verba:

Natura, h. e. ſtatus hominis, nondum per doctrinam SSae diuinumque auxilium edocti emendatique, quoad ille homo res, ad religionem SSa comprehenſam pertinentes, poteſt aut non poteſt absque diuino auxilio ſcire, velle, agere, ſcit aut neſcit, vult aut non vult, agit aut non agit. (v. locus de gen. hum. imperf. p. 113. et ſupra §. 2. not. p. 226.)

Proinde res admodum diuerſae (religio naturalis, officia, naturali lege duce praeſtita, rurſus inſcientia religionis SSa comprehenſae, omnino vita ſceleſta, nominatim vacuitas a pietate, ad doctrinam SSae conformanda) in vnum hoc verbum coniectae ſunt: vt adeo mirum non ſit, parum diligenter eos interdum

locutos esse, qui subiecto, tot res heterogeneas complectenti, eadem tribuerent praedicata.

Gratia, h. e. partim auxilium Dei, quod fert, vt homo possit has res scire, velle, agere (supra §. 2. not. 2. et §. 4.): partim status et facultas hominis (Gnadenstand), iam edocti emendatique per doctrinam auxiliumque Dei. (v. locus de fide §. 1. not.)

Pfaffius de gratia et praedestinatione: in primitiis Tubing. p. 87. qui et alias lites inde nexas persecutus est.

Libero arbitrio carere in spiritualibus, h. e. non posse, sine doctrina SSae auxilioque Dei, scire et exercere spiritualia, siue religionem SSae.

Liberum arbitrium habere in naturalibus, h. e. natura et ratione duce posse cognoscere Deum, et varia officia praestare.

LL. SS. p. 14. 217. 318. 578. 654. Chemnitius (Loc. theol. P. 1. p. 166.) mauult dici locum de *viribus humanis*, quam de libero arbitrio. (v. inscriptio cap. 2. Form. Concord.) Quem quidem si essent plures secuti: non admiscuissent mentionem libertatis humanae, quam in psychologicis philosophi describunt: de qua vero hic plane non sermo est.

3. *Gratia*, quando significat nominatim auxilium Dei, dicitur esse vel operans, vel cooperans. Operans, cum adiuuans in ini-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0265
DFG

tio conuersionis hominem Deus operatur solus per doctrinam primos motus pios*). (v. §. 4. scholia.): Cooperans, cum adiuvans in progressu conuersionis Deus habet hominem simul agentem, et cooperatur homini.

*) Haec operans gratia dicitur etiam a nonnullis praeveniens. (v. Musaei praelect. in F. C. p. 126.) Alii rursus praeuenientem sic describunt, vt intelligant varios rerum secundarum aduersarumque casus, variasque occasiones alias, quibus Deus interdum vtitur ad hominem aliquem commonefaciendum, vt ad se redeat, et ad μετάνοιαν alliciatur: cuiusmodi viae prouidentiae diuinae etiam παιδαγωγία et προπαιδεύματα dici solent. Omnino haec vocabula alius aliter definiit.

4. Exprimemus ea omnia, quae controversa fuerunt, sine istis vocabulis, (possunt enim sine his multo dilucidius et accuratius dici) per propositiones quasdam, acccommodate ad vsum et popularem institutionem:

Teneat homo, se instructum esse ratione, et boni malique conscientia, seque, ducibus his vsum, et cognoscere varia de Deo, et varia, atque adeo multa recte agere posse: sciat tamen, cognoscendi causa sibi exhiberi alia quaedam in SSa, agendi causa per eam pectus inprimis et interiorem pietatem formari.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0266
DFG

Ergo religio SSae addit varia, sibi propria, naturali religioni.

Ergo non repudianda est doctrina SSae.

Ea, quae doctrina SSae addit, scire, diiudicare, probare nequit, qui non est edoctus religionem SSae, aut, vbi edocetur opinionibus ante captis libidinibusque impeditus detinetur. 1 Cor. 2, 14.

Cum ea probare, liberarique inscientia, et opinionibus ante captis, et libidinibus incipimus: agnoscendum est in ea re beneficium Dei, ab ipso nobis sponte oblatum, ad eum vnum referendum.

Sunt et manent in homine, sunt et manent extra eum grauissima impedimenta inchoandae continuandaeque assensionis et emendationis. Io. 5, 44. et 8, 43 sqq. Ephes. 4, 18.

Sentiat ergo, se in initiis et progressu indigere auxilio: neque tamen sit segnis ad vsum eorum, quae ipsi oblata sunt. Sed tum quoque, cum operam haud segnem dat, perquam modestus sit, et memor, proprie et origine tenus Deo se debere successum, et ab initio, et in progressu. Phil. 2, 12. 13.

Cf. Hülsemann de auxiliis gratiae. Lipſ. 1655. Omnia fere haec attigit etiam Muſaeus de conuerſione. Sed inprimis bene ſcripſit Iunkheim vom Uebernatürl. in den Gnadenwirkungen.

APPENDIX CAPITIS TERTII.

De doctrinae diuinae vſu, nominatim ad poenitentiam ſtricte dictam (cf. p. 223.), ſeu dolorem de peccatis et fidem, habitam promiſſionibus veniae: ſiue, de legis et euangelii vſu.

1. Sic conſtituta et veluti coarctata quaeſtione, (neque enim hic quaeritur de omni, qua patet, vſu doctrinae ad eam quoque partem immutationis animi et vitae, quae ſequitur demum poenitentiam et fidem) doctrina diuina ſpectatur dupliciter: cum quoad continet, quae ad agnoſcenda peccata doloremque de iis ducunt; tum quoad continet, quae ad fidem, ſolatii fontem, ducunt. Illa dicuntur lex, haec euangelium.

2. Lex ergo, in hac quaeſtione, ſignificat omnia de moribus officiisque praecepta, in V. et N. T. obuia, omnem ſcripturae ſacrae doctrinam de moribus officiisque[1]). Et quoniam ex lege, hoc ſenſu accepta, di-

ſci poteſt et debet, quid a nobis poſtuletur, quid ſit, peccare, quam illicitum et noxium ſit, peccare, item nos reuera peccare[2]): poteſt et debet lex, hoc ſenſu accepta, ducere nos ad reſipiſcendum, ad agnoſcendum et improbandum peccatum, et dolorem de eo commiſſo concipiendum. Haec theologi ſummatim his verbis exprimunt: *Lex arguit peccata, et animum terret.*

1) v. LL. SS. p. 60. 709 ſqq. Chemnit. Loc. P. 2. Gerhardi Loc. Vol. 3. Doctrinam vero et praecepta de officiis appellarunt *Legem*, quia eſt norma agendi: et quidem norma agendi, a Deo propoſita: (declarata vero voluntas Dei de agendo et non agendo, ſolet in SSa ſimpliciter dici lex:) et quia praecepta de moribus ſimilitudinem habent cum decalogo nominatim, qui κατ' ἐξοχὴν nomen legis gerit.

2) Has ad res Iudaeos ſua illa lege vniuerſa vti poſſe ac debere, docet Paulus. Rom. 3, 20. cf. 4, 15. Hinc id translatum eſt ad omnia de officiis praecepta.

3. Euangelium autem, in hac quaeſtione, ſignificat omnem V. et N. T. doctrinam de gratia Dei in Chriſto promiſſa et exhibita, ſiue de certa venia peccati eiusque cauſis*). Quoniam ergo euangelium, hoc ſenſu acceptum, promittit et offert peccantibus gratiam veniamque: poteſt et debet euangelium, hoc ſenſu acceptum, ducere nos ad fiduciam tranquillam, in illa Dei gratia pro-

missa et exhibita ponendam, seu ad fidem. Haec summatim ita exprimuntur: *Euangelium solatur.*

*) v. LL. SS. p. 60. 715. Doctrinam vero hanc appellarunt *Euangelium*, quia laeta est. v. Chemnit. Loc. P. 2. p. 205.

5. Res hactenus tradita, siue vsus ille duplex doctrinae diuinae, etsi veriſſime traditur: tamen in definiendo hoc sensu duorum verborum, huic rei exprimendae sic destinatorum, *Lex et Euangelium*, arbitrium docentium elucet. Nam in V. T. libris תּוֹרָה significat vniuersam doctrinam Dei, Iudaeis notam; aut leges Mosaicas omnes sine discrimine [1]), integrum illud corpus iuris Mosaici: in libris autem N. T. *νόμος* significat, aut omnes Mosaicas leges coniunctim [2]), aut totam doctrinam Dei Iudaeis notam [3]), aut totam doctrinam christianam [4]), aut eius partem [5]). Euangelium in libris N. T. integram doctrinam Iesu Christi significat, et opponitur legi, siue illi oeconomiae Mosaicae et V. T. religioni vniuersae [6]). Alias significationis vtriusque verbi varietates nunc non tango [7]).

1) Nempe Iudaei non ita distinxerunt praecepta de moribus, a praeceptis de foro et sacris ritibus, vt, *legem* dicentes, cogitarent tantum praecepta de moribus: sed omnis generis leges Mosaicas intellexerunt, v. p. 211. not. 2. et Chemnitii Loc. P. 2. p. 11.

2) Etiam

2) Etiam 2 Cor. 3, 6.
3) Rom. 3, 19.
4) Gal. 2, 19. cf. 6, 2.
5) Rom. 3, 27. 1 Cor. 9, 21.
6) Rom. 1, 16. et 16, 25. 1 Tim. 1, 11. et saepius.
7) Cf. praeter Lexica, Origenis Philocalia. c. 9.

5. Qui vero verbis his, *Lex et Euangelium*, certum illum significatum (§. 2. 3.) tribuerunt, hi et ipsi monuerunt, non hoc significatu haec verba in SSa vbiuis dici[1]), nec vnum hunc esse legis et euangelii vsum[2]), de quo §. 2. et 3. dictum est.

1) Cf. LL. SS. p. 710.
2) Ergo loquuntur de triplici legis vsu, LL. SS. p. 717. et concedunt, etiam ex euangelio capi argumenta doloris de peccato. ibid. p. 710. 717. Chemnit. Loc. P. 3. p. 207.

6. De lege passim certatum est tempore Lutheri, et insecuta aetate, non sine ambiguitate verborum: cum alii*), praeeunte Agricola, viderentur contendere velle, non pertinere legem (Mosaicam et oeconomiam V. T.) ad christianos, aut ad religionis christianae doctrinam, sed incaute loquerentur, et a multis sinistre intelligerentur: alii pugnarent de eo, an non euangelium etiam esset dicendum concio poenitentiae: alii dubitarent, an regenitis proponenda esset et

inculcanda lex. Connexae tamen fere hae sententiae fuerunt, et ad extremum vna controuersia.

*) Hi dicti fere sunt Antinomi. v. Excerpta e Io. Agricolae scriptis apud Arnoldum in H. E. P. 2. c. 25. p. 813. Cf. Musaei praelectt. in F. C. p. 219. et intelligentissimum iudicem Moshemium, Inst. H. E. p. 654. De ceteris duabus controuersiis v. not. 2. ad §. 5. et Musaeus l. l. inprimis p. 229.

Paulus autem Rom. 7, 6. Gal. 5, 18. 1 Tim. 1, 8 sqq. disputat contra doctores, Mosaicam legem vtique vrgentes, et, vt vrgerent, asseuerantes, non disci posse τὸ vetitum, nisi a Mose, non disci posse τὸ agendum, nisi e Mose, et licentiam viuendi oriri, nisi Mosis lex doceatur, insimul vero rituum Mosaicorum necessitatem propugnantes.

7. Christianae religionis doctores, vt auditores ad agnitionem peccati et dolorem de eo adducant, non tam sic vtentur lege, vt denuncient iis mala peccati, genti Iudaicae vt genti Iudaicae propositа[1]), (quasi hoc sit legem docere); quam sic, vt indolem peccati inde monstrent, in malis autem, peccato annexis, describant miseriam necessariam communemque peccati, quae, iuxta N. T. disciplinam, ad animum futuramque vitam pertinet[2]), et vt omnino assumant e doctrina vniuersa, quidquid ad agnoscendum et improbandum peccatum refertur[3]).

1) Leuit. 26. Deut. 28.

2) v. Locus de imperf. hum. p. 109. §. 3—16.

3) v. Locus de notione emendationis p. 216. §. 2.

8. Vbi autem quaeritur, an decalogo, *qua tali*[1]), nos etiamnum teneamur: nihil simpliciter effutientes ostendent, partim quaenam decalogi praecepta postulent officia, quae et nostra sunt officia; [quaedam enim decalogo praescripta officia vtique nostra quoque, et hominum omnium, sunt officia; neque tamen omnia decalogi praecepta sunt eiusdem generis[3])] partim, cur haec sint nostra officia, cur a nobis haec sint praestanda? an nominatim propter decalogum, qua talem, sint a nobis praestanda, et obligationis nostrae causa sit in illa lege fundamentali ciuitatis Iudaicae? cur a Iudaeis debuerint praestari, obstrictis nominatim decalogo, qua tali? Sic apparebit, respectu officiorum, cuiuis homini communium, potissimum de causa obligationis, e decalogo oriundae, disputandum esse. Nos ergo Christiani tenemur, officia illa in decalogo nominata, quae omnibus hominibus communia sunt, praestare potissimum ideo, quia ratio dictitat, et Christi doctrina proponit, proponendoque confirmat. Iudaei vero tenebantur ea obseruare, quia

ratio dictitabat, et Moſes iuſſu diuino praeſcripſerat.

1) h. e. Formula decem praeſcriptorum, genti, ciuitatem ſuam inchoaturae, per Moſen, certo tempore, certas inter περιστάσεις, cum certis argumentis et ſanctionibus, promulgatorum, vt eſſent illius ciuitatis lex fundamentalis.

2) Col. 2, 16.

PARTIS QVINTAE
CAPVT IIII.

De baptismi notione, eiusque coniunctione cum religione, nominatim cum pietate.

I.

Omnibus aliis verbi βαπτίζειν significationibus missis, baptizare hoc loco est, hominem solemniter immergere aquae, aut aquam ei affundere.

Cf. Vossii dissertt. de baptismo. Ge. Calixtus de baptismo. Helmst. 1643.

2. Huiusmodi baptismum Iesus Christus diserte instituit (Matth. 28, 19.), et institutus hic ab eo baptismus constanter a scriptoribus N. T. dicitur *baptismus in Christum.*

3. Baptizari in aliquam personam significat, *eum*, qui in personam illam baptizatur, eo ipso *illi personae obstringi*, et ideo nominatim obstringi, vt illius personae doctrinam de religione teneat.

Hoc iudicant omnia exempla baptizatorum, in Act. Apost. obuia. Hoc confirmat adiunctum baptismo τὸ ποιεῖν μαθητάς. Io. 4, 1. Matth. 28, 19. Cf. 1 Cor. 1, 13. 14. 15. Add. Vitringae Obs. S. l. 3. c. 22.

Ergo per baptismum talem in personam aliquam a) declaratur, associare aliquem se illius personae se-

ctatoribus, *): b) inaugurari aliquem coetui et disciplinae illius personae: c) praeberi alicui iura et commoda, illius personae sectatoribus propria **): d) obstringi eum officiis, quae illius personae sectatoribus propria sunt ***).

*) Act 2, 41. et 8, 12.
**) Gal. 3, 27. 28.
***) Rom. 6, 3.

Βαπτίζεσθαι εἰς τινά, εἰς ὄνομα τινός, ἐπὶ τῷ ὀνόματι τινός (Act. 2, 35.), ἐν τῷ ὀνόματι τινὸς (Act. 10 vlt.), nihil videntur differre significatione, quoniam, de eadem re posita, inuicem permutantur.

4. Quia vero Christus non modo doctor est; sed et morte sua Seruator, idemque nunc Dominus: sequitur, vt *baptismus in Christum* (si eum plene perfecteque, e nexu totius doctrinae christianae, describere velimus) sit *praescriptus a Christo ritus immergendi* [1]) *homines aqua, quo ritu obstringimur Christo Doctori, Seruatori, Domino:* h. e. tenemur, doctrinam eius assensu probare et vita sequi, per eum Seruatoris Dominique beneficia propria exspectare, ei officia propria praestare [2]).

1 v. Corollar. 1.
2) Hoc est aliis verbis, obstringimur *in eum credere*, Act. 19, 4. (cf. p. 203. §. 7. schol.) *eum religiose colere*. Act. 22, 16.

5. Sed hic baptismus in Christum, ex ipsius Christi institutione, simul esse debet

baptismus in Patrem et Sanctum Spiritum. (Matth. 28, 19.)

6. Ergo baptismus etiam Patri et Spiritui Sancto nos obstringere debet[1]), et quidem hactenus, quatenus Christus (vtpote qui nos in Patrem et Spiritum Sanctum baptizari vult) nos Patri et Spiritui obstrictos esse docet, h. e. quatenus eorum opera et beneficia describit, nostra inde propria erga eos officia deducit, et suam doctrinam illorum doctrinam esse[2]), suum opus et sua beneficia cum illorum operibus et beneficiis cohaerere[3]) docet, siue quatenus nobis cum iis intercedere vinculum religionis (Religiöses Verhältniss, Verbindlichkeit Religion gegen sie zu haben) ostendit.

1) Cf. §. 3.
2) Io. 12, 44 sqq. et 16, 7 — 16.
3) A Patre per Filium et Spiritum Sanctum tribuuntur. Cf. p. 70. §. 14.

7. Quo igitur sensu amplo in Christum baptizamur (§. 4.), eodem haud dubie sensu amplo in Patrem et Spiritum baptizamur, scilicet *vt et in hos credamus*, et *hos religiose colamus*. Et sunt sane opera atque beneficia Patris et Spiritus ex eo genere, vt ab homine nullo, sed ab vno Deo tribui et exspectari queant, et, vbi homo ea nouit aut

accipit, ibi ea hominis ad Patrem quoque et Spiritum neceſſitudo oriatur, in qua ineſt religio.

8. Hic baptiſmus appellatur *baptiſmus regenerationis*[1]) [*vniuerſae* immutationis moralis[2])]: ſiue, homo dicitur per eum regenerari[3]), idque propter conſilium auctoris baptiſmi[4]), propter profeſſionem et obligationem eius, qui baptizatur[5]), et propter effectum, qui ſequitur iuuante Dei Spiritu[6]).

1) Tit. 3, 5. Cf. βάπτισμα μετανοίας Marc. 1, 4. Luc. 3, 3. quod eſt idem.

2) v. huius Partis cap. 2. §. 6. p. 220.

3) Io. 3, 5. Hic locus ex hiſtoria Chriſti (Io. 4, 1.) et Ioannis baptiſtae certum habet ſenſum. Chriſtus loquitur de eo, quod illo tempore in facto poſitum erat, quo tempore homines per baptiſmum μετενόουν et ἀνεγεννῶντο, h. e. regno Meſſiae ſe addicebant, Chriſti doctrinae et vitae meliori ſe obſtringebant, iuuante Deo, et ita compotes bonorum Meſſiae fiebant.

4) Hic vult homines initiari et per baptiſmum inaugurari doctrinae ſuae, quae facit neceſſariam ἀναγέννησιν vniuerſam.

5) 1 Petr. 3, 21.

6) Io. 3, 5. Tit. 3. 5.

Multi baptiſmum regenerationis ſic interpretantur, vt regeneratio ſit anguſto ſenſu[1]) donatio fidei, aut virium ad fidem, ideoque baptiſmus regenerationis ſit, medium donandi firmandique fidem, aut vires ad fidem. Rem lubens probo. Eam conſtituunt vlterius ita, Spiritum

Sanctum in baptismo id operari inexplicabili modo, vt adultis confirmetur fides, infantibus donetur. Hoc vt in adultis facilius locum habet: ita laborat haud parua difficultate, cum de infantibus sermo est. Hinc infantibus donari fidem, inde ab Augustino, per Scholasticorum tempora, alius aliter intelligit, alius aliis verbis exprimit [2]). Infantes credere, id concludunt e quodam N. T. loco [3]). Et tamen tandem omnia huc redire volunt, ita esse, a nobis explicari non posse, et infantes suo modo, pro suo modulo, fidem habere, aut vires credendi accipere.

1) v. huius Partis cap. 2. coroll. 1. p. 222.

2) LL. SS. p. 544. vbi Lutherus agnoscit difficultatem huius quaestionis, et de cautione vtili in docendo monet. Melanchthon in Locis (in cap. de baptismo appellat nouos motus, nouas ad Deum inclinationes, pro ipsorum modo effectas a Spiritu Dei. (cf. Chemnit. Loc. P. 3. p. 147. et Examen conc. Trid. p. 245. Gerhard. Loc. T. 4. p. 268. 279. 322. Buddei theol. dogm. p. 1198. Ei. Misc. Sacr. P. 3. p. 17. 18. Cotta ad Gerhardi Locos T. 9. p. 283. Add. etiam Doederlein inst. theol. P. 2. p. 676.)

3) Matth. 18, 6. Sed τοιαῦτα παιδία et μικροὶ non sunt pueruli, qua aetatem, (nam eos qua aetatem imitari non possumus) sed pueruli, qua adiunctam illi aetati indolem ταπεινὴν, (nam hanc imitari, huius respectu veluti repuerascere possumus) et homo adultus, qui eos imitatur, qui repuerascit, est etiam τοιοῦτον παιδίον et μικρός. Luc. 18, 17. Et in hunc hominem adultum repuerascentem cadunt demum praedicata huius loci, susceptam religionem Christi palam profiteri (πιστεύειν), et, quia profiteris, per alios hac de causa (ἐπὶ τῷ ὀνόματι χριστοῦ, Matth. 18, 5. ὅτι χριστοῦ ἐστέ. Marc. 9, 41. πιστεύοντα. Matth. 18, 6): beneficiis subleuari, aut durius tractando ad apostasiam adigi (σκανδαλίζεσθαι). Haec non

cadunt in infantem recens natum. Hinc, qui Marc. 9, 37. dicuntur τοιαῦτα παιδία, eorum exemplum v. 41. sunt apostoli, ὑμεῖς, οἳ χριστοῦ ἐστέ, οἱ μικροὶ οἱ πιστεύοντες εἰς χριστόν. Omnino Christus, etiam vbi non ducitur sermonis occasio ab infantibus, suos sectatores appellare solet μικρούς, vacuos honore ac dignitate externa, postpositos aliis. Matth. 10, 42. (v. Chrysostomi homil. ad hunc Matthaei locum, et Noesselti opusc. ad interpret. Scr. S. Fasc. 1. no. 1.)

9. Baptismus appellatur etiam *baptismus ad peccati veniam*[1]). Etenim qui baptizatur, is debet animo ita compositus esse, partim vt approbet assensu ac fide doctrinam[2]): cui quidem fidei promissa est salus, ideoque et venia: partim vt μετάνοιαν cum baptismo coniungat[3]): quae quidem vbi est, ibi homo ad se transferre promissam veniam potest. Ergo ob hanc duplicem animi qualitatem[4]), cum baptismo coniunctam, baptismus habet hunc veniae fructum, et est ei, qui baptizatur, simul pignus atque documentum veniae.

1) Act. 2, 38. Pariter Ioannis baptismus Marc. 1, 4. Luc. 3, 3.

2) Marc. 16, 15. 16. Hic coniungitur πίστις et βαπτισμός.

3) Act. 2, 38. Marc. 1, 4. Luc. 3, 3. Hic coniungitur μετάνοια et βαπτισμός.

4) Non ergo propter actum, quatenus est actus, aut propter aliquam vim, aquae inditam. LL. SS. p. 329.

10. Ita expositis tribus de baptismo dogmatibus (§. 4. 7. 8. 9.), seorsim dicendum est de infantum baptismo, cum quaedam hactenus dicta*) non sic habeant locum in infantibus, vt in adultis.

*) §. 3. ipsi se non obstringunt doctrinae cognitae. §. 8. ipsi se non obstringunt immutationi. §. 9. non habent animum ita compositum, vt adulti.

Iam secundo seculo vsitatum fuit, infantes baptizare[1]): tertio et quarto seculo[2] magis inualuit, seruato tamen etiam more adultos baptizandi: donec tandem, adultorum baptismo fere cessante, infantum baptismus potius obtinuit.

1) Tertull. de bapt. c. 18. Fortasse et Irenaeus c. haer. 2, 39. de baptismo infantum loquitur.

2) Vsurparunt eum morem vt παράδοσιν ἀποστολικήν. Vid. veterum locos in Gerhardi Locis T. 4. p. 307. Calixti disert. de baptismo §. 102 sqq. Binghami Origg. eccles. Vol. 4. p. 192 sqq. Vitringae Obs. S. T. 1. c. 6. Pfaffii Origg. Iur. Eccles. p. 83. Guil. Walli historia baptismi infantum. (vers. lat. Schlosseri. Brem. 1748. 4.)

11. Consuetudinem infantes baptizandi quod tenemus[1]), id sic defendimus, vt apte, et prouti in infantes cadit, *causam, consilium effectumque* paedobaptismi explicantes, concludamus, non esse contrarium christianae religioni, infantes baptizare[2]).

1) Deflexerunt ab hoc more, praeter nonnullos, passim aeuo medio decurrente exortos, tenaces paedobaptismi aduersarios, recentiore aetate Anabaptistae

(Mennonitae, Baptistae), qui baptismum infantum contrarium christianismo censent. Quam eorum sententiam defendit, post alios multos, Ant. van Dale in historia baptismorum: ad calcem disert. de Aristea. Amstelod. 1705. Vid. de eorum hac et aliis sententiis Walchii introd. in LL. SS. p. 887. De eorum historia idem Walchius (Einleit. in die Relig. Streit. p. 591): et Moshemius in inst. H. E. p. 692. item Starkius (Geschichte der Taufe und der Taufgesinnten. Lipsi. 1789). Alios scriptores de anabaptismo collegit Noesseltus (theolog. Bücherkenntniss §. 251 sqq.) Edidit non multo ante Rahusen, Mennoniticus doctor, conciones sacras. Bremae 1784. 8.

2) Cf. Vitringa Obs. Sacr. l. 2. c. 6. Defendit etiam Wetsten. ad Matth. 28, 19. infantum baptismum.

12. *Causa* vero idonea est, quia infantes nati sunt inter christianos, ideoque Deus natalium beneficio iis profecto destinauit bona religionis nostrae, eosque coetui nostro associauit[1]). Ergo recipimus eos solemni modo in hunc coetum nostrum. Non autem est causa aut in diserto dicto N. T. quod nuspiam exstat, aut in euidentibus exemplis ibi obuiis[2]), aut in conclusionibus, ductis e locis N. T.[3])

1) 1 Cor. 7, 14.

2) Act. 16, 15. 32. 33. 1 Cor. 1, 16. Haec exempla non sunt euidentia exempla infantum simul baptizatorum. Fieri potuit.

3) Matth. 28, 19. Marc. 10, 14. 16. Luc. 18, 15. Talibus e locis non sequitur necessario, infantes etiam esse baptizandos.

13. *Consilium* est, vt horum bonorum certius participes reddantur, vt haec bona iis propius admoueantur, h. e. vt iis, receptis solemni modo in coetum nostrum, addicatur ius postulandi a nobis procurationem horum bonorum, vt suscipiamus in nos, iis haec bona procurare, vt obstringantur, etiam baptismi causam tenere hanc religionem, cui nati sunt[1]), vt, quia haec bona proprie non sunt penes nos, Deo offerantur[2]) infantes, qui iis ipse haec bona impertiat, vt simul doceamus et profiteamur, etiam ad infantes pertinere gratiam Dei salutarem[3]). Horum nihil est impium, aut Christianismo contrarium.

1) Sic fit, quod §. 3. et 4. tractatum est.
2) Conf. Aug. art. 9.
3) ibid. et Apol. Conf. Aug. p. 156. Art. Smalcald. p. 329.

Comparari quaedam horum consiliorum possunt cum consiliis circumcisionis Iudaicae, per quam recepti sunt pueri in foederis societatem, et Mosaicae legi obstricti.

14. *Effectus* est, iuuante quidem Deo, vt infantes baptizati maneant obstricti religioni christianae[1]), operam dent seueram sanctitati[2]), habeantque baptismum pignus ac documentum gratiae salutaris et veniae peccatorum, ad se pertinentis[3]).

1) Ita baptismus eorum manebit iis baptismus in Patrem Filium et Spiritum Sanctum, (§. 4. 5. 6. 7.) aeque ac his, qui adulti baptizati sunt.

2) Ita manebit iis, aeque ac his, qui adulti baptizantur, baptismus regenerationis. (§. 8.)

3) Ita manebit iis, aeque ac his, qui adulti baptizantur, baptismus in peccati veniam. (§. 9.)

Mos Protestantium, baptizatos infantes tum, cum sacrae coenae primum se accingunt, *confirmandi*, (sic enim solet appellari) perquam laudabilis est, et a doctoribus serio et seuere et studiose obseruandus, vt quisque coetus opportunitatem concedit.

Incerta origo Iudaici proselytorum baptismi, quamquam perantiqui, quem et infantibus impertierunt Iudaei, non finit inde petere certum argumentum, quo plane efficiatur, iam Christi aetate morem baptizandi infantes tenuisse.

cf. Seldenus de synedriis, 1, 3. Vitringae Obs. S. 2, 6. Walli hist. bapt. infantum: in introductione praemissa. De contrariis scriptis Danzii et Wernsdorfii, et aliis libris, v. Walchii Einl. in die Rel. Str. T. 3. p. 168. Danzii scripta v. in Meuschenii N. T. e Talm. illustr. p. 233. 650.

15. Baptismus, α) a Christianis, Patrem Filium et Spiritum Sanctum profitentibus, β) interueniente aqua administratus, γ) cum declaratione, fieri hoc iussu et instituto Christi, et fieri, vt sit ille a Christo institutus baptismus in Patrem Filium et Spiritum Sanctum*), talis ergo baptismus nullo modo iterandus est.

*) Haec tria continent naturam (essentiam, formam) baptismi.

Iterarunt eum olim, qui haereticos, ad suum coetum transeuntes, de nouo baptizarunt[1]), et recentiori tempore Anabaptistae, non sine omni tamen discrimine[2]). Hi nempe omnes sibi vindicarunt, se solos vere et recte baptizare. Sed vbi est natura rei, ibi res ipsa est talis, qualis esse debet. Fructus autem pendet a Deo, non ab homine baptizante, aut coetu, in quo quis baptizatur, qui coetus baptismum non facit magis aut minus genuinum. Coetus, qui baptismum *repetit*, propemodum videtur baptizando recipere homines magis in hunc coetum, quam in ecclesiam Christianam.

1) Saec. tertio. v. Cypriani epist. 70 sqq. Saec. quarto schisma Donatistarum. Scriptores de eo v. apud Moshem. inst. H. E. p. 165. Deyling. prud. pastor. p. 346.

2) Cf. §. 11. not. 1. v. vtique Moshem. ibid. p. 692 sqq.

Corollaria.

1. Ritualia baptismi, velut modus vtendi aqua, immergendo aut adfundendo[1]), locus corporis, cui adfunditur aqua[2]), ter repetita aut semel facta adfusio aut immersio[3]), administratio baptismi per doctorem publicum, aut certa de causa per alium quemdam christianum[4]), haec ergo omnia per se libera sunt, et variari possunt: nam nihil horum in N. T. diserte praescriptum est, nec mutat aut tollit naturam rei, nec reddit irritum aliquod de baptismo dogma.

Fiunt autem talia necessaria et stata per leges et mores singulorum coetuum, ordinis et decori causa [5]).

1) Immersio videtur antiquior: adfusio videtur introducta ob infantes, aut ob inclementius regionum quarumdam coelum, aut ob mores mutatos; vt eadem in clinicorum baptismo propter necessitatem inualuit. In Iudaico proselytorum baptismo vsitata fuit. Introducta subinde adfusione, tamen vterque mos omni fere tempore vsurpatus est. v. Suiceri Thes. Eccles. in βαπτισμός. Buddei theol. dogm. p. 1442. Deyling. prud. pastor. p. 370. Fabricii bibliogr. ant. p. 387. Wolfii Curae Philol. ad Act. 8, 38.

2) Deyling. ib. p. 371. *siue in capite, siue in fronte, aut pectore fiat, pro libertatis christianae vsu, et recepta consuetudine.*

3) Gerhardi Loci T. 4. p. 267.

4) Olim nec apostoli sibimet ipsis proprium vindicarunt (1 Cor. 1, 1. Act. 10, 48.), nec alligarunt docentium personis. Deinde doctoribus relictum est. (Cf. Suiceri Thes. Eccles. p. 630. in v. βαπτισμός.) Nunc inter nos tum demum laicis permittitur, cum non est opportunitas doctoris adeundi aut arcessendi. (Vid. Binghami dissertatt. singulares, eius originibus Eccles. adiectas: est tamen scriptor fauentior iuribus ac dignitati episcoporum.)

5) 1 Cor. 14, 40. cf. locus de ecclesia. §. 5. 6.

2. Etiam *concepta* verba formulae, qua vtimur baptizantes [1]), per se libera sunt, et varietatem admittunt: si modo diserte declaretur, nunc in Patrem Filium et Spiritum Sanctum baptizari, et formulae argumentum

tum (seu res quam exprimit) hoc fuerit, in Christum, aut in Patrem Filium et Spiritum Sanctum aliquem baptizari[2]). Sed haec quoque concepta verba facit solemnia et rata lex societatis: et est laudabile, seruare ipsa illa verba, quibus Christum in baptismo instituendo vsum esse legimus, quae verba et veteres seruarunt[3]).

1) Scilicet declaramus per formulam additam, nos nunc vti aqua ex instituto et consilio Christi, nos nunc baptismum à Christo institutum administrare. cf. §. 15.

2) Gerhard. Loc. T. 4. p. 262. Binghami Origg. eccles. Vol. 4. p. 163. Deyling. prud. pastor. p. 364 sqq.

3) Cf. Iustin. Mart. apol. 1, 80.

3. Exorcismi mos et formula ex errore hominum, nominatim de obsessis a diabolo infantibus, accessit ad baptismum seculo tertio[1]); confirmauit rem superstitio[2]). Vtique potest omitti penitus, consentiente coetu, et publica auctoritate. Optabile est, vt tandem aliquando remoueatur a baptismo: habet enim haud paruam offensionem: et argumenta dogmatica suppetunt, aeque ac historica, quare sit mos improbandus. Qui eum morem adhuc tenent, et ita emolliunt, se declarare velle, homines esse prauos et miseros, hi poterant id alio

meliore modo declarare[2]), et debebant sine alio modo declarare.

1) Moshem. inst. H. E. p. 117. Cf. Krafts ausführliche Historie vom Exorcismo. Hamb. 1750. 8.

2) h. e. opinio, quae autumat, per verborum formulam abigi malum spiritum posse.

3) Legant Chemnit. Loc. P. 3. p. 148. Non potest moderatius et apertius de hac re scribi, quam scripsit ibi Chemnitius.

PARTIS QVINTAE
CAPVT V.

De notione coenae sacrae, eiusque coniunctione cum religione, nominatim cum pietate.

I.

Narrationem de instituta coena sacra consentientem reliquerunt quatuor N. T. scriptores[1]), e qua satis apparet, Christum voluisse, vt a suis talis coena repeteretur. Et est ipsorum apostolorum tempore repetita[2]). Recte igitur abiit ea coena in ritum, ex instituto ipsius auctoris religionis nostrae cum hac vtique coniunctum.

1) Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. et 1 Cor. 11, 24. Verba Lucae et Pauli, τοῦτο τὸ — αἵματί μου, ceperim sic: Bibite, hic calix (bibere ex hoc calice) est nouum foedus, (est, ingredi novum foedus, ei se associare) meus enim sanguis, qui hic bibitur (τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου), sancit novum foedus. Dum ergo vobis porrigo hunc calicem, dum vos inde bibitis: reddo vos participes foederis noui, et antiquo foedere soluo, et vos ingredimini nouum foedus. Cf. Doederlein inst. theol. Vol. 2. §. 355.

2) 1 Cor. 10, 15 sqq. 1 Cor. 11, 20 sqq.

2. De consilio coenae sacrae consentiunt omnes Christiani, eam ideo celebrari, vt recolamus memoriam Christi[1]), late sane

patentem ad omnia eius opera et beneficia, nominatim memoriam mortis Christi [2]).

1) v. locos N. T. modo indicatos.

2) v. inprimis 1 Cor. 11, 26. et verba, σῶμα ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, αἷμα ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Etiam noui foederis cogitatio, quam verba Christi, similia Mosaicis (Exod. 24, 8.), indicant, ducit ad memoriam mortis Christi, quia hac morte foedus nouum sancitum est. vid. supra p. 159. 160.

3. Dum hoc ita fit, haud dubie simul hanc vim habet, vt publice profiteamur, coli a nobis Christum, cruentam morteni pro nobis perpessum [1]), et vt admoneamur, esse nos omnes eiusdem religionis participes [2]).

1) Nam haec est vis epulorum sacrorum, h. e. cum religione coniunctorum, in numinis honorem actorum, vt, qui iis interfunt, declarent, se colere numen, in cuius honorem fit epulum sacrum. v. omnino 1 Cor. 10, 16. *Fruitio panis et vini est actus* (epulum), *per quem venimus in societatem etiam externam corporis et sanguinis* (mortis cruentae) *Christi*, h. e. per quem actum cum aliis coniunctim veneramur Christum, quoad pro nobis cruentam mortem subiit, per quem actum aliis declaramus, nos illam mortem facere nostram, eiusque coram aliis profitendae et cum aliis celebrandae causa adesse, nosque gerimus cultores Christi, cruentam illam mortem pro nobis perpessi. Sic Iudaei *fruentes* epulis religiosis, sic pagani, *fruentes* epulis religiosis, (horum enim populorum exemplis Paulus vtitur) *in* veri *Dei*, *in numinum societatem etiam externam veniunt*, dum se Dei aut numinum cultores ibi gerunt et profitentur. Qui

facit cum aliis, quae fiunt ad colendum numen, is et ipse fit etiam extrinsecus cultor numinis. Quo ergo sensu κοινωνία in horum populorum epulis sacris dicitur, eodem sensu accipienda est in Christianorum epulo sacro. v. Moshem. commentar. ad 1 Cor. 10, 16. Ernesti repetitio et assertio doctrinae de praesentia corp. et sangu. Ch. in S. C. De reliquo, etsi Paulus sacram coenam comparat cum epulis *sacrificialibus*, tamen coena sacra ideo non est epulum *sacrificiale*, seu quod peracto sacrificio agitur. Hinc malui dicere *sacrum* aut *religiosum* epulum. Res eiusdem *generis* (sacra epula) comparantur; non res eiusdem *speciei* (mera sacrificiaria epula). v. Cudworth de vera notione coenae Domini: et quae ibi Moshem. contra disputauit.

2) 1 Cor. 10, 17.

4. Illud consilium (§. 2.) qui spectat, hanc rei naturam et vim (§. 3.) qui reputat, et qualis est res, tali vtitur[1]), is fruitur hac coena modo digno seu consentaneo[2]), h. e. consilio et naturae rei, ideoque voluntati instituentis conuenienter. Qui non ita fruitur, is peccat aduersus corpus et sanguinem Christi (profanando), et ita ex hac profanatione reus culpae fit (ἔνοχός ἐστι), sibique nocet (κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει.)

1) Haec ita diiudicans et cogitans, est ὁ διακρίνων τὸ σῶμα κυρίε, 1 Cor. 11, 29. et ὁ διακρίνων aut ὁ δοκιμάζων ἑαυτόν. ib. v. 28. 31.

2) 1 Cor. 11, 27 sqq.

5. Ita ergo habebit eam coenam adminiculum pietatis, cum ea coena, per adspe-

ctabiles res et exhibitum beneficium excitans animum, proprie morali modo fidem hominis pietatemque exerceat et formet. Ita et ob memoriam beneficiorum, et ob fructum suum, poterit, vt debet, gratus erga Christum et laetus interesse coenae, et ita verecundus esse, vt tamen nihil cohorrescat aut angatur.

6. Non aeque consentitur, quo potissimum sensu verborum Christus dixerit, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Plerique veterum [1]) vsque ad nonum fere seculum docuerunt, non panem modo et vinum, sed corpus etiam et sanguinem Christi sumi et adesse [2]): quamquam pauci distincte [3]), multi per comparationes [4], aut inconstanter [5] locuti sunt, nemo vtique definire, aut certam explicationem, vel certum verbum loquendiue modum, praescribere aggressus est [6]). Fuerunt etiam, qui panem et vinum figuras corporis et sanguinis Christi appellarent [7]).

1) Cf. Chemnitii fundamenta doctrinae de coena Domini. c. 10. Gerhardi Loci T. 5. p. 85. Procopowitii theol. orthodoxa Vol. 3. p. 624. Scriptores de perpetuitate fidei: (quos recensuit Pfaffius in disp. Antirogeriana p. 6.) Buddei instit. theol. dogm. p. 1578. Ernesti Antimuratorius.

2) Dixerunt Graeci fere: Spiritus S. facit corpus et sanguinem Christi (cf. Irenaei Fragm. anecd. p. 27.

ed. Pfaff. Hag. Com. 1715.): et praemiserunt propterea coenae sacrae ἐπίκλησιν ἁγίου πνεύματος. (cf. Pfaffius de consecratione euchar. §. 4. Deyling. Obs. misc. p. 194.): docuerunt, post consecrationem panem et vinum non esse merum panem et vinum, sed corpus et sanguinem Christi, appellaruntque etiam simpliciter corpus et sanguinem Christi. Bene monet Crusius (Plan des Reichs Gottes. p. 163.), in hoc iam esse aliquid ambiguitatis, quia videantur illi suae ἐπικλήσει vim effectricem tribuere.

3) Distinctius ceteris locutus est Irenaeus c. haer. 4, 34. *Eucharistia duabus rebus constat, terrena et caelesti.*

4) Comparant cum ἐνσωμάτωσει Filii Dei (Iust. Mart. apol. 1, 86.): tamen etiam cum illa mutatione aquae in vinum, quae Io. 2, 1 sqq. narratur.

5) Damascenus de orth. fide p. 314. sqq. Cf. omnino Pfaffius de consecr. euchar. §. 18. Multa etiam rhetorice dicta potius, quam ἀκριβῶς, in libris veterum occurrunt.

6) Appellarunt rem ipsam μεταβολήν, μετατοίησιν, μετασοιχάωσιν, μετασχηματισμόν, per quae verba quam laxissime dicebatur, panem et vinum per consecrationem fieri, et post consecrationem esse aliud quid, quam merum panem et vinum. (v. Forbesii instructt. histor. theol. l. 11. c. 4. Latinorum scriptorum locos v. in Ernestii Antimurat. p. 54 sqq.) Dixerunt etiam, ἐν τύπῳ ἄρτου καὶ οἴνου sumi corpus et sanguinem Christi. Apparet ergo e Patrum libris, quemque de hac re suo modo locutum esse, paucos fortasse eam examinasse cum consilio docendi ἀκριβῶς et finite.

7) Tertull. c. Marcion. 1, 14 et 4, 40. Facundus in defens. trium capit. 1, 9. Eiusmodi locis Augustini vsus est in suam rem Caluinus instit. Christ. relig. l. 4. c. 17. §. 21.

Mirum ergo non est, omnium sententiarum, quae vsitatae hodie sunt de coena sacra, praesidia et argumenta peti e Patrum libris posse.

7. Hanc plerisque veterum communem sententiam, scilicet adesse et sumi corpus atque sanguinem Christi, Lutherus et collegae ab initio in vniuersum [1]) tenuerunt, atque publice professi sunt [2]). Deinde vero [3]), partim publicam Romanae ecclesiae sententiam [4]), partim Zwinglianam [5]) improbaturi, definierunt curatius, et his verbis expresserunt: corpus et sanguinem Christi substantialiter et realiter [6] praesentes esse, sumi ore [7]), in cum et sub [8]) pane atque vino. Rem omnem, hac explicatione contentam, vno nomine appellarunt vnionem [9]), eamque sacramentalem [10]).

1) Missis variis explicationibus modi, quo adsint corpus et sanguis Christi, quas Scholastici tentarunt. v. Gerhardi Locos. T. 5. p. 55. et Cottae nota ad hos Locos T. 10. p. 165. Buddei Misc. Sacr. P. 2. p. 79. Pfaffius de consecr. euchar. §. 16.

2) v. Aug. Conf. art. 10. inprimis apolog. p. 158. 159.

3) Planks Geschichte des Protestant. Lehrbegriffs. Lipsiae 1781.

4) Ea est sententia, defendens transsubstantiationem proprie dictam, μετουσίωσιν, h. e. mutationem substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, remanentibus non nisi accidentibus panis et vini. Sic eloquendae rei occasionem Sec. 9. praebuit Paschasius Radbertus: nam ante

seculum nonum ita non locuti sunt de hac re, nec senserunt. (Chemnit. examen conc. Trid. p. 275 sq. Scriptores de Paschasio v. in Moshemii inst. H. E. p. 303.) Seculo 10. tractauit Petrus Lombardus, relinquens tamen rem incertam. (v. Gerhardi Locos T. 5. p. 111. et Confess. cathol. p. 1144.) Seculo 12. Petrus Blesensis ipsum vocabulum transsubstantiationis introduxit. Seculo 13. a. 1215. in concilio Lateranensi haec sententia confirmata est, vt Romanae ecclesiae orthodoxa. v. Ge. Calixtus de transsubstantiatione: (Helmstad. 1675.) qui copiose ostendit, quantopere Scholastici de hac sententia depugnauerint. Deyling. Obs. misc. p. 208.

Aduersarii huius sententiae de transsubst. semper fuerunt Graeci: (v. Kieslingii historia concertationis Graecorum et Latinorum de transsubst. Lipsiae 1754.) defenderunt enim μεταβολὴν (cf. §. 6 not. 6), repudiarunt μετασίωσιν. Fuerunt vero et alii eius aduersarii (v. Chemn. Ex. conc. Tr. p. 272. Gerhardi Confess. cathol. p. 1140 sqq. Buddei inst. theol. dogm p. 1549. Walchii historia transsubstantiationis pontificiae: in eius miscellaneis sacris. Cotta ad Gerhardi Locos T. 10. p. 220. 256.) De Berengario v. Lessingii Berengarius Turonensis, (Brunsvigae. 1770. 4.)

5) Haec sententia panem et vinum censet figuras aut signa corporis et sanguinis Christi, nec adesse corpus et sanguinem statuit. (cf. Plank. l. l.) Prolixe Gerhardus (Loc. T. 5. p. 65. cf. p. 61.) enarrat, quantum Caluiniani dissenserint de eo, vbi potissimum esset tropus eius propositionis: Hoc est corpus meum: (cf. Boerner inst. th. symbol. p. 611) eorumque cetera argumenta, non a verbis, sed a re ducta, persequitur.

6) Haec duo verba constituebant, quid hoc loco esset, *vere praesens*, (v. LL. SS. p. 725) et opponebantur Zwinglianis et Cryptocaluinistis. (Musaei praelect. in F. C. p. 234 sqq.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0295
DFG

7) Etiam hoc oppositum est Zwinglianis: (LL. SS. p. 745. 755. vbi auctores libri declarant disertis verbis, quid non intelligant et sibi velint, hoc verbo vtentes, amoliunturque calumniam.)

8) Haec verba pontificiis sunt oppositа. (LL. SS. p. 735.)

9) ibid. Sic ergo tria trium coetuum verba de hac re exstant: transsubstantiatio, vnio, figura. Graeci coetus verbum est μεταβολή.

10) h. e. qualis tantum in hoc sacramento, non autem alibi in rerum natura, reperitur.

Tentamina recentiora explicandi haec verba aliter, et constituendi rem nouo modo, enarrauit Buddeus (Misc. Sacr. P. 2. p. 61), attigit Boernerus (instit. th. symb. p. 617): recentissima non habuerunt magnopere successum: nam ad extremum prope accedunt ad Zwinglianae sententiae similitudinem. (vid. der Paulinische Lehrbegriff vom Abendmahle. Francof. 1779. Neue Gedanken vom Abendmahle. Berol. 1779. Ueber Zweifel beym Abendmahle. 1782. sine mentione loci, vbi libellus prodiit.)

8. Sic autem, vt paulo ante (§. 7) proposita res est, nos Augustanae Confessioni addicti eam rem intelligimus, et nos docere publice profitemur[1]), quia *Verba* illa Christi: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus: partim hunc sensum habere possunt, quem nos iis tribuimus[2]); partim spectanda sunt, vt exhibentis, et, quid exhibeat, declarantis[3]), item vt promittentis[4]). Vnde aequum est, ea verba simpli-

citer et ad literam tenere[5]). Quoniam autem in *Re* ipsa sane difficultas est[6]), docemus et statuimus, nos loqui de Iesu, ad summam maiestatem euecto, eodemque Dei Filio[7]): hunc non modo posse praesentem esse animis fruentium ea coena[8]), vt fruantur ea vtiliter; sed posse etiam, nouo et incognito modo[9]) praesentem, exhibere nobis corpus suum et sanguinem, vt singulare beneficium, huic coenae alligatum.

1) v. praefat. libri concordiae fol. 6. ed. Rech. (qui locus vtique legendus est) et LL. SS. p. 600. His ergo in locis tractata argumenta sunt publice proposita, et nostri coetus doctoribus publice commendata.

2) Sensum hunc plures nostrorum (v. Gerhard. Loc. T. 5. p. 55.) etiam his verbis describunt: Panis et vinum sunt media, per quae Christus exhibet suum corpus et sanguinem, illis mediis vnitum.

3) Propositionem exhibitiuam in scholis nominamus.

4) Promittit, quid in posterum et quale beneficium exhibiturus sit repetentibus in posterum coenam sacram, ab ipso institutam.

5) Et est tanto aequius, cum publica Romanae ecclesiae sententia conciliari cum physicis principiis nequeat; Zwingliana vero merum ritum mnemonicum, meramque caerimoniam arbitrariam relinquat: id quod cum indole religionis N. T. componi non satis potest, in qua nihil externum ita est praescriptum, vt res, propter quam illud externum constitutum est, etiam sine illo externo aeque lo-

cum habeat, aeque fieri possit, et per illud externum, tantum adspectabili modo mouens, nihil nisi attentio animi cieatur augeaturque.

6) Hanc vrgent Caluiniani praesentim ex eo, quod corpus et sanguinem vbiuis adesse non posse disputant.

7) LL. SS. p. 158. 600.

8) Hanc appellamus moralem praesentiam.

9) Siue, sacramentali modo, qui tantum in hoc sacramento occurrit, nec habet exemplum simile. Hinc postulant nostri a secus sentientibus hanc aequitatem, ne nobis obiiciant ea, quae de corporum mundanorum physica, vsitata, et nota nobis praesentia valent, et vt sinant nos euehere animos ad δόξαν τῦ Κυρίε ἡμων sic, vt statuamus, talem illum ac tantum Dominum nostrum non modo per actum religiosum (operari) conferre aliquid ad pietatis exercitium; sed et per beneficium nouum ac singulare (operari) tradere nobis semet ipsum totum, qualis homo fuit, et nostra causa mortuus est. (cf. Crusii Plan. p. 161. fin. p. 173. n. d.)

A. Iusto subtilior est disputatio de omnipraesentia naturae humanae Christi (in abstracto spectatae), et de toto genere secundo communicationis idiomatum, et de concluso inde argumento praesentiae corporis et sanguinis Christi in coena sacra. Non tam disserendum videtur de hoc, quid natura Christi humana in abstracto spectata habeat; quam confirmandum, Iesum, hominem eumdemque Dei Filium, posse operari, quo modo et quo loco velit. Vnde nostri publice fassi sunt, se fundamentum suae de coena sacra sententiae poni nolle in ista disputatione subtili. (cf. praef. Libri concord. fol. 6. Chemnitius de fundamentis doctrinae de coena sacra. Frcft. 1653. fol. it. supra Appendix de communic. idiom. p. 144 sq.)

B. E notione testamenti, quale faciunt morientes, non recte petitur argumentum interpretationis propriae verborum, *Hoc est corpus*. Nam διαθήκη in narratione de instituta coena sacra est *foedus*, non testamentum morientis: quem enim sensum habent verba Mosis (Exod. 24, 8), eumdem habent verba Christi, respondentia illis Mosaicis.

C. Κοινωνία 1 Cor. 10, 16. non est vnio rei adspectabilis cum non adspectabili. v. ad §. 3.

D. Io. 6, 51 — 59. fortasse plane non sermo est de coena sacra (LL. SS. p. 743): certe non de ea in primis; aut adeo de ea sola et vna. Etenim in antegressa sermonis parte (v. 33 — 51.) ostensum erat, nos debere frui doctrina Christi, vt pabulo animi: deinde et illud additur (v. 51 — 59), nos etiam eius morte cruenta, quam praedicit diserte, vt et ipsa pabulo animi, frui debere. Iam prius illud est, nos destinatum nobis per *doctrinam* fructum capere inde debere: vnde et posterius erit, nos destinatum nobis per *mortem* fructum capere inde debere. Ergo summa loci est, fructum nos et e doctrina, et e morte Christi, percipere debere, cum Deus Filium suum nobis prodesse, et pabulo esse, voluerit non tantum, quatenus Filius nos docuit, sed et quatenus morti se pro nobis tradidit. Atqui capimus, et capere debemus ex vtroque hoc bono fructum inprimis *mente*, dum discimus doctrinam, dum Christi mortem, cum fiducia tranquilla, causam solatii nostri facimus. Hic est proximus loci sensus. Si Christus hoc sermone habendo simul respexit tacite ad coenam sacram, quae multo demum tempore post illum sermonem instituta est: subobscura fuit, et auditoribus eius non cognita haec verborum significatio.

E. Suo quodam argumento, sed mea quidem opinione valde lubrico, vsus est Toellnerus (vermischte Aufsätze. P. 2. p. 173. Francof. 1766). Ceteroqui per hanc occasionem de re in vniuersum intelligenter scripsit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0299
DFG

F. Ceterum in re, tot quaestionibus oppleta, tot sententiis circumsepta, tot dissensionibus agitata, durum fuerit, sibi aliquem vni iudicium liquidum arrogare, secus autem sentientes accusare impietatis aut contumaciae, notare contumeliosis nominibus, aut adeo odisse: praesertim cum in vsu coenae illius caput rei sit, cum ad alendam fidem, tum ad exercendam pietatem, et ad satisfaciendum institutentis Christi consilio, meminisse Christi, nominatim mortis cruentae, quam pro nobis subiit.

9. Est ergo sacra coena solemnis[1]) fruitio[2]) panis et vini[3]), a Christo ideo praescripta, vt fruentes pane atque vino simul fruantur eius corpore, morti tradito, et sanguine, in memoriam Christi.

1) Solemnis sit, *partim* quia celebratur in conuentu *a*), ad exemplum aetatis apostolicae (1 Cor. 11, 20 — 34.) et reliquae antiquitatis (Iust. Mart. apol. 1, 85 sqq.), et per ipsam epuli sacri indolem (supra §. 3.): *partim* quia consecratio (benedictio) praecedit *b*), quae origine tenus (Matth. 26, 26. 27. 1 Cor. 10, 16.) et in summa *c*) precibus *d*) consistit *e*).

a) Indulget tamen societas singulis, qui coetui vtique nequeunt interesse, vt domi habeant certas inter περιστάσεις hoc pietatis exercendae adminiculum. Putem, hoc ita fieri amanter, et esse dandum amori erga alios. Qui possunt coetui interesse, et tamen nolint cum coetu celebrare coenam, sed sibi solis instrui eam volunt, his non debebat nimium indulgeri.

b) Praecedit autem consecratio, non, vt efficiat praesentiam corporis et sanguinis; sed vt declaret, quid nunc fiat, quare nunc edatur bibaturque panis et vinum, et vt ita fruituros illa coena

in rem praesentem veluti vocet, et hoc agere iubeat. Cf. LL. SS. p. 599. 747 sqq.

c) Nam in singulis variatum est omni tempore. (v. Pfaffius de consecratione eucharistiae in primitiua ecclesia. Hag. Com. 1716.) Precibus apud nos vtiliter et apte adiungitur narratio de instituta hac coena.

d) Ipse loquendi vsus indicat, ab eo ἁγιάζεσθαι (consecrari) et εὐλογεῖσθαι (benedici) τὸ βρῶμα, qui Deo gratias pro alimentis agit, ea sumens ad Deum precatur. 1 Tim. 4, 5. Luc. 9, 16. Ergo verba haec vsurpantur de precantibus in vsu ciborum: ideoque consecratio in coena S. inest in precibus, non inest in ipsa recitatione ipsorum horum verborum: *Hoc est corpus meum.*

e) His duabus partibus, publica et communi celebratione, atque consecratione, contineri *solemnitatem*, etiam publici libri nostri p. 749. monent.

2) Si in coena sacra *frui* debemus pane et vino, non fit ibi sacrificium propitiatorium. v. LL. SS. p. 25. 250 sqq. Chemnitii Ex. conc. Trid. p. 332 sqq. Gerhardi confess. cathol. p. 1200. Ge. Calixtus de sacrificio Christi, semel oblato, et initerabili. Helmst. 1644. Idem de missis solitariis. ibid. 1650. Pfaffius de oblatione eucharistiae in primitiua ecclesia. Hag. Com. 1715. cf. eiusdem diss. apologetica: in primitiis Tubingenss. Cotta ad Gerhardi Locos. T. 10. p. 297 sqq. T. 12. p. 168 sqq.

Non quaeritur inter Protestantes et Pontificios: an veteres in coena sacra mentionem προσφορᾶς faciant: faciunt enim, sed non sic, vt propitiatorium sacrificium intelligatur. (v. Deyling. Obs. miscell. p. 199. 204. 290. Kiesling. hist. concertationis de transsubst. p. 224.) Nec quaeritur: an non possit

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0301
DFG

coena sacra dici θυσία seu προσφορὰ αἰνέσεως aut ἀναμνήσεως, sed an sit propitiatorium sacrificium: id
v) enim esse, concilium Trident. statuit. cf. Boerner. inst. th. symb. p. 649.

3) Recens auctoritas, propter quam in ecclesia Romana calix non porrigitur laicis, (quippe a. 1415 decreto concili Constantiensis demum publice sancita est haec consuetudo) opponi nequit consilio instituentis Christi, exemplo aetatis apostolicae, et mori veteris ecclesiae vniuersae. cf. LL. SS. p. 21. 330. Chemnit. l. l. p. 298. Ge. Calixti disp. contra communionem sub vna. Helmst. 1642. Deyling. obs. misc. p. 188. 316. Cyprians Belehrung vom Papstthum. p. 27. Spittlers Geschichte des Kelchs im Abendmahle. Lemgo. 1780.

Corollaria.

De materia et figura panis, de indole vini, de modo porrigendi et accipiendi, disputare nihil attinet. Haec sunt libera, quia per haec, etiamsi varientur, nullum dogma de coena sacra, nec coenae natura mutatur. Pendent autem a cuiusuis coetus institutis sancitis, quibus singuli parent.

Veteres panem et vinum dixerunt elementa, στοιχεῖα, (h. e. partes, quibus constat coena), σύμβολα, τύπος, species, (h. e. res aut formas adspectabiles).

Quod publici doctores panem et vinum distribuunt, id ordinis et decori causa

causa fit: et est iam olim antistiti concessum (Iust. Mart. apol. 1, 85 sqq.). Cf. Deyling. prud. pastor. p. 463. vbi conceditur, non esse hoc *per se* et *necessario* adstrictum personae doctoris; posse et ab alio christiano fieri, si fuerit necessitas summa. Ernesti thes. dogm. p. 48. Cotta ad Gerhardi Locos T. 10. p. 21. hac de re copiosus est.

APPENDIX

De vocabulo Sacramenti: et dissensione in numero Sacramentorum.

1. Doctores ecclesiae Latinae varias res, easque vario significatu, nominarunt sacramenta. Vt plurimum in eorum scriptis sacramentum est sacrum signum, h. e. res adspectabilis, quae significat aliam non adspectabilem gratiosam, seu ad Deum eiusque beneficia vllo aliquo modo pertinentem Omni tamen tempore baptismum et coenam sacram nominatim dixerunt sacramenta.

Cf. Chemnit. Examen conc. Trid. p. 200. Vossii disputt. de baptismo, init. Forbesii instructt. hist. theol. lib. 9. Iam in Vulg. vers. Ephes 5, 32. *sacramentum* videtur esse signum rei sacrae. Graeci saepissime μυστήρια, raro σύμβολα (v. Suic. Thes. eccles.) dixere, quae a Latinis sacramenta dicta

sunt. Multae dissensiones scholasticorum de vi et definitione huius verbi hoc tamen commune habent, sacramentum esse rem visibilem, quae significat et exhibet effectum gratiosum. Chemnit. ibid. p. 203. Add. Heilmann de iusta sacramenti notione finienda: in eius opusc. Ienae, 1774.

2. Nos, Lutheri formulam sequentes, verbi notionem tandem sic constituimus,[1]) vt ita definiri possit: esse ritum, in scriptura sacra ecclesiae ideo praescriptum, vt, quippe pertinens ad religionem, saluber[2]) sit obseruantibus.

1) Post fluctuationes Lutheri et Melanchthonis (apol. Conf. Aug. p. 200. Chemnit. l. l. p. 204.) vicit tandem auctoritas Lutheri (in libello de captiuitate Babyl. Opp. T. 6. p. 1416. ed. Altenb.), sacramentum dicentis *ritum, vtendi re visibili* (signo), *qui habet verbum mandati et promissionis.* v. Walch. introd. ad LL. SS. p. 460.

2) Boern. inst. theol. symbol. p. 540. *Gratia*, inquit, *euangelica, remissio peccatorum cum connexis beneficiis, per sacramentum confertur vel confirmatur.*

3. Nos ergo, sic definito verbo, tantummodo baptismum et coenam sacram nominamus sacramenta.

4. Aliter ecclesia Romana et Graeca[1]) definit verbum. Ergo etiam, praeter baptismum et coenam sacram, nominat sacramenta has res: Confirmationem baptizati[2]), Absolutionem[3]), (quod et Sacramentum

poenitentiae dicitur), sacerdotis Ordinationem [4]), (dicitur et Sacerdotium [5])) Matrimonium [6]), Vnctionem extremam [7]).

1) Cf. Orientalis ecclesiae dogmata. p. 227. Lipsi. 1784. Definiunt fere sic, vt in nota §. 1. de scholasticis dictum est: tamen non consentiunt plane. v. Fr. Spanhem. elenchus controuersiarum de religione. p. 476.

2) Haec nuspiam est in Scr. S. diserte praescripta, sed est ritus ecclesiasticus. Cf. Binghami Origg. eccles. Vol. 4. p. 344. Chemn. exam. p. 248.

3) Haec si spectetur, quoad erudit homines confirmatque de peccati venia, non est ritus, sed hominum institutio et consolatio (cf. de ecclesia coroll. 2.): si spectetur, quoad certo tempore fit, a doctore publico ordinato (inaugurato), imposita manu, singulisque tribuitur, hae res externae nuspiam sunt in Scr. S. diserte praescriptae; sed tempore labente introductae.

4) Haec nuspiam est diserte praescripta: et quod illi tribuunt pontificii, vt exhibeat ordinato vim efficaciter remittendi peccata et sacrificandi in coena sacra (cf. LL. SS. p. 353. *do tibi potestatem* —), id destituitur fundamento Scr. S. Cf. Gerhardi Conf. cathol. p. 1323. et infra de Eccles. §. 6.

5) Sed ordo (der Lehrstand) non est actio ritualis.

5) Haec est societas priuata in ciuitate, nec proprie ad religionem pertinet. In matrimonio christianorum opera danda est religioni, vt officia, e matrimonio oriunda, fiant conuenienter doctrinae christianae; matrimonium ipsum per se non est pars religionis. Cf. Gerhard. ibid. p. 1328. Occasio matrimonium appellandi sacramentum ducta est e Vulg. Vers. Ephes. 5, 32.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0305
DFG

7) Vnctio aegrotorum, quae Marc. 6, 13. Iac. 5, 14. describitur, vsurpata est, vt sanitas aegrotis restitueretur. Ergo penitus differt consilio et effectu ab extrema Romanae ecclesiae vnctione. v. de loco Iacobi Ikenius in dissertt. Vol. 2. p. 605. Cf. de his omnibus apol. Conf. Aug. p. 200. Chemnitii Examen. conc. Trid. p. 369—433. nominatim p. 404. de opinata vi extremae vnctionis. Add. Scherzeri Antibellarminus. p. 465.

De charactere inexstincto (qualitate spirituali, indita animo), a tribus sacramentis, baptismo, confirmatione et ordinatione, exspectando, vide opiniones scholasticas apud Gerhard. in Conf. cathol. p. 1095.

5. Possunt alii sacramenti vocabulum aliter definire, ac nos solemus. Possunt alii, aliter definito verbo, numerum etiam aliter inire: et inierunt eum vario modo [1]). Bene Melanchthon [2]), *Nemo*, inquit, *vir prudens de nomine et numero rixabitur.* Illud non facere debent, vt, nomine eodem cum pluribus rebus communicato, has plures res, propter nominis similitudinem, postulent eadem dignitate esse, aut ad originem, aut ad fructum, aut ad necessitatem, et cum religione coniunctionem, qua dignitate sunt baptismus et coena sacra.

1) Gerhardi conf. cathol. p. 1101. Petrus Lombardus primus finitum postea Tridentini concilii auctoritate numerum, *septem* sacramenta complectentem, introduxit. Boerneri inst. th. symb. p. 542.

2) LL. SS. p. 203.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0306
DFG

6. Quia circumcisio et paschalis coena Iudaeorum magnam habent similitudinem cum baptismo[1]) et coena sacra[2]): possunt et solent[3]) illi duo ritus Iudaeorum etiam appellari a Christianis communi nomine sacramenta.

1) Tangitur circumcisionis et baptismi *aliqua* similitudo Colosſ. 2, 11. 12. Ideo vero illa non est necessario huius typus sensu stricto.

2) Paschalis *agnus* et Christus moriens comparantur in N. T. passim (1 Cor. 5, 7. Io. 10, 36.): sed *coena paschalis* et coena christianorum sacra ibi non comparantur, nec illa vt huius typus tractatur. Possunt autem duae hae coenae comparari. Cf. Moshem. ad Cudworth. de vera notione coenae Domini. p. 11. ad calcem System. intellect.

3) Ob similitudinem, ob comparationem aliquam, quae fit in N. T. libris, ob studium reddendi Vetus Test. simile Nouo Test. vid. Müllers Darstellung der christl. Glaubenslehre. §. 148. fin. p. 306.

PARS SEXTA
De ecclesia.

I.

Vniuersa summa hominum, qui per terrarum orbem vspiam sequuntur doctrinam Christi, dicitur ecclesia Christi.

Matth. 16, 18. Verba קהל, מקרא, עדה, quae in V. T. ἐκκλησία vertuntur, coetum hominum omnino significant: item concionem. Nominatim קהל Ps. 22, 23. populum Dei, *qui veram religionem tenet*, aut Ps. 26, 12. congregatos in templo *cultores Dei* indicat. Ita respondens his verbum ἐκκλησία factum est dogmaticum, exprimens non multitudinem omnino, non concionem proprie dictam; sed λαὸν τῷ Θεῷ, τὰς ἐπικαλεμένας τὸν Θεὸν, *multitudinem cultorum veri Dei.*

De nomine, ecclesia *catholica*, v. Buddei Misc. sacr. P. 2. p. 108. Walchii introd. ad LL. SS. p. 107.

2. Dogmata de ecclesia proprie sunt eadem, quae supra [1]) in loco de negotio Christi Domini tradita sunt, et quorum summa haec erat: A Christo conseruari, defendi, propagari, nominatim ope continuorum doctorum [2]), ecclesiam vsque ad mundi finem: ab eo vno [3]) eam in statuendo de religione, viuendo sperandoque pendere: in ecclesia omnia referri ad doctrinae cognitionem et

exercitium, futuraeque vitae praeparationem[3]).

1) Pag. 178 sqq.

2) Ergo esse debent doctores. v. ibid.

3) Pag. 188. §. 13. Ergo non adiunxit sibi aliquem hominem, qui alter sit ab ipso, locum ipsius teneat, et omnibus praesit Christianis. Cf. §. 7. not. 2.

4) Ergo alia nulla rerum vllarum procuratio debet occupare ecclesiam, qua est ecclesia. cf. §. 8.

3. In illa vniuersa Christianorum summa (§. 1.) qui *vere* sint Christiani, id proprie solus Deus nouit[1]). Nos ergo, qui externa tantum scimus, possumus tantum quaerere, an alicubi et vbi *reuera* sit ecclesia christiana, et cogimur in hac quaestione adquiescere nota externa[2]). Ea est: Vti doctrina Christi, ideoque etiam nominatim ritibus religiosis, per hanc doctrinam praescriptis. Haec vbi fiunt, ibi dicimus esse reuera ecclesiam christianam[3]), etsi promiscue in ea sunt veri et non veri Christiani, verum item et error[4]): vbi plane non fiunt, ibi negamus esse christianam ecclesiam. Proinde omnes id agere debemus, vt illa duo, vsus doctrinae et sacramentorum, recte inter nos habeant, et nos singuli vere simus Christiani, veraque inter nos sit ecclesia.

1) Inde dicunt, inuisibilem esse ecclesiam veram, seu veros Christianos.

2) Aug. Conf. art. 7. 8. et apol. Conf. p. 144. Cf. Gerhardi confeſſ. cathol. p. 728. col. 2. no. 3.

3) Haec dicitur etiam viſibilis.

4) Matth. 13, 27 — 31. it. v. 47 ſqq. Nec apoſtoli dubitarunt, coetum, in quo paſſim errores et flagitia erant, appellare eccleſiam.

4. Vbi plures coniunctim vtuntur doctrina Chriſti, praeſcriptisque ab eo ritibus religioſis: ibi incipit ſocietas eccleſiaſtica externa particularis. Cuiusmodi ſocietates etſi ſunt: ob diuerſitatem locorum, neceſſario multae, et, ob diuerſitatem ingeniorum, in ritibus arbitrariis et his illis ſententiis neceſſario diuerſae: in eo tamen ad extremum conueniunt, vt profiteantur atque colant vnum eumdemque Dominum, Chriſtum, et bonis, quae ei debentur, communibus frui nitantur[1]). Sunt ergo *hactenus* omnes vna eademque communitas[2]), omnes vna multitudo cultorum Chriſti, et ex eadem cauſa, quantumuis ceteroquin diuerſi, concordiae mutuae memores eſſe debent[3]).

1) Haec eſt ſocietas ſeu communio Domini et ſcopi, ideoque interna, in animis obuia. cf. LL. SS. p. 146.

2) Io. 10, 16. 1 Cor. 1, 12. 13. it. 8, 16. Epheſ. 4, 11. Cf. Henkii hiſtoria antiquior dogmatis de vnitate eccleſiae. Helmſt. 1781. Contrariam ſententiam de opinata eccleſiae vnitate, pendente ab communi capite adſpectabili, et ſententiarum atque caerimoniarum ſumma conſenſione, improbat Aug.

Conf. art. 7. examinat Gerhardus Conf. cathol. p. 733. 748.

3) Sacri quidem libri non aliter loquuntur de vnitate ecclesiae, quam quoad omnes in ecclesia habent eumdem Dominum, eamdem doctrinam, eiusdem Domini doctrinaeque professionem, et quoad concordes esse debent.

5. Vt autem indubitata et necessaria nota ecclesiae externa (§. 3.) etiam locum habeat in singularibus ecclesiasticis societatibus, et hae vere agnosci possint christianae societates, curabit quaelibet societas, vt occasio docendae discendaeque doctrinae christianae suppeditetur, et vt religiosi ritus, a Christo praescripti, retineantur administrenturque, quemadmodum sunt praescripti.

6. Modus autem, haec curandi, constituendi, conformandi atque administrandi, non pendet a disertis SSae locis[1]), tamquam legum arbitrariarum, hoc consilio latarum, vim habentibus; sed a conditione societatum singularum externa[2]), propter quam vtique varius est ille modus et diuersus[3]), et esse potest, si modo vbiuis attemperetur palmario consilio, quo sumus et vna viuimus christiani, et dogmatibus de ecclesia (§. 2.) nihil repugnet.

1) Cf. Scholia huius paragraphi. Ergo modus ille non est, vt loqui solent scholae, iuris diuini, sed humani.

2) Prouti constant multis aut paucis: opibus abundant aut destituuntur: perpetuae sunt indigenarum ciuium, aut peregrinorum temporariae.

3) Exempla sunt:

Conuentus publici et omnis liturgia.

Modus eligendi doctores. (v. Scriptores de antiquitatt. in Deyling. prud. past. p. 27.)

Modus eos vocandi, h. e. iis tradendi ius certo loco docendi, et sacramenta administrandi.

Modus ordinandi (inaugurandi, cf. Boerneri instit. theol. symbol. p. 738.), h. e. vocationem publice (Principis siue societatis nomine cf. Ziegler de Diaconis. c. 6. Boehmeri principia iur. can. p. 73.) comprobandi confirmandique (LL. SS. p. 353.), vt vocatus inchoare nunc possit, munere fungi, et iure sibi a coetu tradito vti: plus enim ordinatio non efficit aut tribuit ordinato (cf. appendix de sacramenti vocabulo. §. 4.). In qua quidem ordinatione penes societatem et Principem est, eam administrari, per quem velint, et quibus ritibus velint. Non enim adest omni dubitatione maius, et necessitatem demonstrans argumentum, cur certae tantum personae, episcopi nominatim, ordinare vocatos doctores possint, et debeant. De Latinitate verbi *ordinare* v. Ernesti ad Sueton. Vespas. c. 23.

De opinata successione episcopali scripsit Pfaffius (Tubing. 1720.), idemque in originibus iuris ecclesiastici (p. 52. Tubing. 1719. vbi multi nominantur scriptores): cf. Fabricius in bibliogr. antiquar. (p. 447.): Cotta ad Gerhardi Locos (T. II. p. 287. et T. 12. p. 222. de Britanniae episcopis.).

Nonnulla, de illo modo in epistolis apostolorum obuia, (neque enim omnia, quae vspism et vmquam hac in re obueniunt, potuerunt in omnes adeo secuturas

aetates attingi et ante constitui) aut dictitat ipsa rei natura (1 Cor. 14, 40.): aut expressa sunt ad Iudaicae synagogae rituumque Iudaicorum exemplar (1 Cor. 14, 16. 1 Timoth. 4, 14.) vid. Vitringa de synagoga vetere. Illa sunt officii, et iam sua natura omnes obstringunt; haec inter christianos nationesque alias vim perpetuarum legum accipere non possunt, sed libera manent. Ipse Paulus Titi officio, prudentiae et arbitrio quaedam reliquit. Tit. 1, 5.

Constituere illum harum rerum modum est proprie penes societatem (Deyling prud. past. p. 43 sqq.): deinde penes hos, quibus societas curam demandauit; non autem penes clericos, quatenus sunt clerici.

7. Si qui in ecclesiastica societate docendo aut viuendo aduersentur doctrinae christianae, institutisque societatis: fluit ex ipsa natura societatis, vt moderetur, ne palmario consilio societatis contraria doceantur, et fiant, neque ipsius instituta violentur[1]): etiamsi nihil de modo haec moderandi in SSa ita exstat, vt legis vim ad omnes omnino habeat[2]). Quo igitur modo id moderamen procuretur, relinquendum est societati: et quidquid in talibus fit, id, nisi per se fuerit officium necessarium, humani iuris est[3]).

1) Sic orta est disciplina ecclesiastica, h. e. instituta publica, per quae conseruatur congrua SSae doctorina et vitae ratio, tum et ordo atque mos societatis, semel receptus.

2) Monuerunt libri sacri nonnulla. [2 Tim. 2, 25. *corrigere errantes.* Tit. 3, 10. *monere.* 2 Thess. 3, 14. 1 Cor. 5, 11. *non alere cum ejusmodi*

homine familiaritatem arctam. Matth. 18, 18. qui locus singulis, non societati, praescribit, quid ab aliis offensi facere debeant (v. Chemnit. Ex. conc. Trid. p. 385); et *Ligare* h. l. est declarare improbum, vitandum, indignum familiaritate.] Sed haec sunt manifeste praecepta de officiis, in ipsa rei natura doctrinaque christiana sitis, non *leges* nouae, arbitrariae, tamquam in re noua scriptae, vt fierent basis disciplinae *publicae*, aut adeo *iuris* longi et copiosi, in omnia tempora veluti sancitis legibus introducti.

Vnum illud modum coercendi seueriorem continet (1 Cor. 5, 2. 13.), esse sceleratos christianos prohibendos beneficio communitatis, non agnoscendos porro tales, qui se possint gerere socios.

3) Dolendum modo est, tot super hac re decreta subinde condita esse, vt spissum ius ecclesiasticum enasceretur, resque in iurisdictionem, ciuili potestati sua eripientem, abiret, tum clericos illius iuris administrationem sibi vindicasse, Romanosque episcopos nominatim nisos esse ad illum principatum, qui primatus vulgo nominatur. (v. omnino Aug. Conf. p. 37. et LL. SS. p. 340. Cf. Calvini institutt. christ. relig. p. 294. et 299. Deyling. Obs. misc. p. 420. Moshem. comment. de rebus chr. ante Const. M. p. 264 sqq. De primatu ep. Rom. copiosa collectanea in Gerhard. conf. cathol. p. 564. scriptorumque nomina in Sagittarii introd. ad H. E. c. 27. et Moshem. instit. H. E. p. 347.)

Matth. 16, 18. (quo loco istum primatum niti autumant) spectatur Petrus, vt *doctor*, non vt gubernator et praeses, deque eo *doctore* futurum dicitur, vt ecclesia nitatur Petro, docendi negotium administrante, et nitatur duratura, vti domus rupe nititur, hoc est, *historia docente* (Act. Ap. c. 2. et 10.), fore hunc honorem Petri, vt faciat fundamentum, faciat initium, et *ipse* sit fundamentum (*initium*) *operis perennis*, siue, vt om-

nium primus colligat coetum, etiam a paganis (Act. 10), duraturum ad finem mundi. Ita nixa est ecclesia eo, quod Petrus doctor fecit: ita tum, cum Petrus initium fecit colligendae ecclesiae, posita est veluti rupes, et iactum fundamentum, cui deinde amplissimum et durabile aedificium est inaedificatum. Certe id, quod episcopi Romani nomine primatus postularunt, Petrus nec habuit, nec habere potuit. De reliquo locum *allegoricum* ambiguae interpretationis esse, h. e. in rupe etiam aliarum rerum comparationem (veluti constantiae, quae in Petro fuit, doctrinae et professionis Petri,) respici posse, lubens concedo.

8. Protestantium societates ecclesiasticae, omissa illa infinita disciplina, relictoque, vt fas est, Principibus in ipsam adeo ecclesiasticam societatem externam[1]) imperio ciuili, duos tantum modos ecclesiasticae disciplinae seruarunt, nullo pacto vim ciuilium poenarum, sed corrigendi coercendique consilium habentes: nempe *publice monere*[2]) illos, qui societatis consilio institutisque aduersantur, et *publice prohibere ad tempus vsu coenae sacrae*[3]). Ius autem administrandae huius disciplinae est proprie penes societatem, aut hos, quibus ea hoc demandauit: non est adstrictum necessario clericis.

1) Deyling. prud. past. p. 33. LL. SS. p. 38. *Non igitur commiscendae sunt* etc. p. 39. *Si quam habent* (clerici) *aliam potestatem* etc. Pufendorf. de habitu religionis christianae ad vitam ciuilem. (Bremae, 1706.) Ceterum non esse principum impe-

rium in doctrinam ipsam SSae, in pietatem singulorum et fidem, per se intelligitur.

2) Cf. Corpus iur. eccles. Sax. p. 38. 366. *vermeinten aber die Pfarrer.*

3) Solet hoc interdictum dici excommunicatio minor (LL. SS. p. 333. cf. p. 159. *denunciatur* etc. Corp. Iur. eccles. Sacr. p. 41. Deyling. Prud. past. p. 419.), quae cum sacrorum, non autem ciuitatis communione arceat, longe distat a maiore, per episcoporum imperium inuecta. Nam maior illa, quippe ciuem faciens extorrem, exsuensque bonis ac iuribus, manifeste est ciuilis poena, quam solus infligere potest magistratus. A more Iudaico faciendi homines ἀποσυναγώγους [1]) defensio maioris excommunicationis peti nequit: quid enim ille mos, qui et ipse constitit ciuili poena, ad christianam societatem ecclesiasticam? quid iuris ea sibi inde deriuare potest [2])? Male item huc trahitur Matth. 18, 15 sqq. vbi nihil est de publica excommunicatione (cf. c. 7. not. 1.): nec exemplum illud primorum Christianorum (1 Cor. 5, 13.) talem poenam continet, qualis posthaec fuit excommunicatio.

1) Io. 9, 22. et 16, 2. Cf. Vitringa de synagoga p. 139. Witsii Miscell. Sacra T. 2. p. 60.

2) vid. Pufendorf de hab. relig. ad ciu. §. 27.

Corollaria.

1. Fit vsu loquendi ecclesiastico perantiquo, non vsu loquendi SSae, vt disciplinae ecclesiasticae publicae administratio nuncupetur officium clauium, siue soluendi ligandique (LL. SS. p. 330.).

Sed *tradere doctori claues* regni caelorum, (Matth. 16, 19. quippe de doctore hoc loco sermo est, non de societate ecclesiastica), significat demandare alicui, vt occasionem discendi praebeat docendo, constituere docto-

rem, iubere docere: quemadmodum doctor aufert hominibus *cognitionis* claues (Luc. 11, 52.), cum eos priuat occasione vera discendi, impedit, quo minus ea vtantur. *Ligare* vero cum sit, declarare improbum, vitandum (cf. §. 7. not. 1.): sequitur, si *doctor* dicatur ligare (Matth. 16, 19), id fieri ab eo institutione et doctrina, quae declaret eius iudicium, non disciplina sancita aut vi coercente: si *singuli* (Matth. 18, 18.) dicantur ligare, id fieri vitando hominum malorum consortio: si quis hoc ad *societatem* transferat, et hanc dicat ligare, id fieri declaratione vlla aliqua de aliquo sodali, indigno iam societatis bonis et iuribus. De re non est hic sermo; sed de rei nominibus.

2. Pariter dudum inualuit, vt nominatim etiam publici doctores religionis (de societate nunc non sermo est) officio clavium aut ligandi soluendique fungi, aut etiam absoluere homines dicantur tum, cum *confessos* peccata, potissimum ante coenae sacrae vsum [1]), *docent*, *iisque declarant et confirmant* [2]), promissionem gratiae diuinae et veniae, omnibus omnino in SSa expositam, ad hos etiam confessos peccata pertinere, si in iis conditio accipiendae gratiae atque veniae fuerit. *Res* ipsa recte fit, et est in partibus muneris doctorum: nunc de *nomine* sermo est.

1) Hoc confitendi institutum, per homines introductum, a publica veterum exomologesi (v. LL. SS. p. 183. Pfaffii origines iuris ecclesiast. p. 132.) per multas vicissitudines abiisse in eum morem et modum, qui nunc tenet, ab omnibus Protestantibus agnoscitur: neque ambigitur de vero eius consilio et fructu, descripto in LL. SS. p. 331. perspicue. De re

omnino v. ibid. p. 12. 158. 181. Scriptores indicauit Boern. in inst. th. symb p. 402 sqq.

2) Chemn. Ex. conc. Trid. p. 373. *Priuata absolutio remittit peccata non aliter, quam quod singulis voce euangelii* annunciat *remissionem peccatorum.* cf. Boerner. instit. th. symb. p. 408. 411. Ergo illa absolutio non est iudiciaria, vt Romano coetui visum est: LL. SS. p. 181. sed doctores religionis, si *res* vere aestimetur, illo tempore *docent*, adiuncta consolatione, et sunt διακονοι τῦ λόγα τῆς ἀφέσεως ἁμαρτιῶν: atque adeo non nisi consuetudine loquendi ecclesiastica, quae fortasse non debebat introduci, *dicuntur* absoluere, aut remittere peccata: id quod proprie, et cum certa efficacia atque fructu, ad solum Deum pertinere, nouimus omnes. Vnde vulgo *nominis* vsum vtcumque explicant, et sic emolliunt, doctorem absoluere διακονικῶς, Deum αὐτοκρατορικῶς.

Io. 20, 21. 22. videtur ad solos apostolos pertinere, quippe futuros *tales* Christi legatos ad homines, *qualis* fuerat Christus, Dei Patris legatus, h. e. destinatos ei scopo, vt, quemadmodum Christus totius generis humani doctor esse debebat, et singularibus miraculis insignitus fuerat, ita hi hominum et nationum *omnium* doctores essent, iidemque a ceteris religionis christianae doctoribus *secreti singularibus notis et auctoritate*: qualis erat in illo ἀφιέναι et κρατεῖν τὰς ἁμαρτίας. Quod quid maxime sit, euidenter doceri vix potest. Estne, simpliciter καταγγέλλειν aut κηρύσσειν ἄφεσιν? Estne, huic vel illi nominatim confirmare, ei remitti, eum dignum esse venia, et hoc confirmare certo et liquido? (cf. Crusii theol. moral. p. 1415.) Estne, remittere peccata, (non docendo, non confirmando, sed) facto *remouere consequens mali*, veluti, morbo liberare? Equidem non ausim definire; etsi tertium praeoptem primo et secundo.

PAR-

PARS SEPTIMA

De hominum sorte, post mortem futura, et rebus adiunctis.

I.

Vt libri sacri constanter loquuntur de sorte hominum, post hanc vitam in vtramque partem futura, et nos certam huius rei scientiam interpretamur beneficium acceptae divinitus doctrinae, ponentis partim, ita esse, partim promittentis[1]), et exemplo Christi rediuiui, atque ad summam felicitatem euecti, confirmantis: ita docent, homines statim a morte incipere frui illa sorte, aut tenore continuo necti finem vitae et initia futurae sortis[2]). Palam est, initia haec futurae sortis ad animum pertinere[3]): nam corpora computrescere, et sine sensu ac motu iacere cernimus.

1) 2 Tim. 1, 10. Cf. p. 176.

2) 2 Cor. 5, 1 — 10. *Quando desinimus in terris commorari, incipimus in caelo commorari, et hanc caelestem commorationem praeferimus terrestri, quamquam e terrestri non nisi morte discedi potest.* Aut hic sumus, aut ibi. Tertium non relinquitur. Phil. 1, 23. *Est optabilius, ibi esse, quam hic:* ibi enim felicitate fruimur. Luc. 33, 43. et 16, 19 sqq. nominatim v. 26. νῦν. Et est haec narratio omni sensu et consilio cassa, nisi concedatur, contineri ea hanc doctrinam, statim a morte frui homines sua sorte.

3) Luc. 23, 46. Act. 7, 59. Deus morientium animis beneficus est.

2. Sequitur hinc, non modo superstites a morte corporis animos esse, sed et cum sensu et sui conscientia superstites: errari vero ab his, qui, cum vita in his terris finitur, hunc putant esse hominis, quantus quantus est, interitum*).

*) 1 Cor. 15, 32. Act. 23, 8. Luc. 20, 27. vbi Christus docet, Deum etiamnum se beneficum patriarchis praebere (Ebr. 11, 13 — 17), ipsos vero omnes *viuere* Deo. Est ergo dogma Christi disertum, *sublatos ex his terris viuere Deo.* Cf. de hoc loco Olearii Observ. ad Matth. p. 606.

Ergo opiniones, lethargum (ψυχοπαννυχίαν) aut purgatorium ignem defendentes, repugnant doctrinae sacrorum librorum. Lethargum esse volunt cessationem omnis actionis (ἐνεργείας) animi. v. Gerhardi Locos T. 8. p. 199 sqq. et p. 210. Scherzeri Colleg. Antisocin. p. 1200. Purgatorius ignis (quem Patres prisci e Graecis philosophis in doctrinam christianam intulerunt, et cui vim emendandi tribuerunt, quem deinde et concilium Florentinum a. 1539. defendendum esse sanxit, adscripta ei tamen vi ad luendum et satisfaciendum, quem defendere e Malach. 3, 2. 1 Cor. 3, 13. 2 Macc. 12, 39. plures conati sunt) pertinet secundum coetus Romani sententiam ad hos, qui baptizati quidem et credentes, sed non perfecta virtute fuerunt, vt molestia ignis illius perferenda satisfiat pro residua adhuc labe. v. Gerhard. ibid. p. 117. (qui etiam p. 101. de infantum et patrum limbo exposuit). Chemnit. Examen concil. Trid. p. 524 sqq. Scherzeri Antibellarminus. p. 433 sqq. Forbesii instructt. historico-theol. lib. 13. [Origenis sententia, Platonicae in Phaed. c. 62. expositae germana (v. Huetii Origeniana 2, 11.), duplici modo differt ab hoc igne purgatorio: nam Origeniana illa κάθαρσις pertinet ad omnes omnino, et habet consilium emendandi, emendandoque in inte-

grum reſtituendi. v. tamen Dietelmaieri hiſtoria commenti de omnium apocataſtaſi. p. 109. inprimis p. 155.]

3. Sed ſub finem eius, qui nunc eſt, mundi[1]), etiam corporibus omnium omnino mortuorum[2]) omnipotens[3]) Chriſtus, cui, quippe conſtituto Domino[4]), Deus Pater[5]) hanc quoque partem operis peragendi deſtinauit, vitam reſtituet[6]), vt, ſublatis huic vitae propriis attributis corporum[7]), ἄφθαρτα et immortalia[8]) fiant, et cum animis coniuncta[9]) fruantur ſua ſorte[10]). Breui: *Deus per Chriſtum reddet mortuis corpora ipſorum, viua, et ita mutata, vt ſint immortalia.* Talia corpora et illi accipient, qui tempore reſurrectionis adhuc in viuis erunt[11]).

1) Apoc. 20, 11 ſqq. 1 Cor. 15, 24. tum, cum nulla amplius his in terris eccleſia erit: haec vero eſſe perget vsque ad finem mundi. Matth. 28, 20.
2) Io. 5, 28. 29. Act. 24, 15.
3) Phil. 3, 21.
4) Io. 5, 26. 27. υἱὸς ἀνθρώπε eſt nomen, Meſſiam ſignificans. (v. Gaillardi ſpecimen quaeſtionum de Filio hominis. Lugd. Bat. 1684. 4.) Nempe debet ita Meſſias vltimum aduerſarium ſui operis tollere. 1 Cor. 15, 26. Cf. p. 181. 182.
5) Io. 5, 21. 26. 1 Theſſ. 4, 14.
6) 1 Cor. 6, 14. Deus excitat τὸ σῶμα, quo bene aut male agimus. 1 Cor. 15, 42. τὸ ἐσπαρμένον ἐγείρεται, ib. v. 53. τοῦτο τὸ φθαρτὸν γένεται ἄφθαρτον. cf. Phil. 3, 21. Ergo id ipſum, quod nunc habemus, inſtauratur in melius, redditur antiquum, idque praeſtantius, id; quod habuimus, mutatur, h. e. accipit alias proprietates: 1 Cor. 15, 52. 53. Phil. 3, 21. Ergo non interit penitus et ceſſat, non eius

loco subſtituitur plane nouum procreatum. Subiectum, cui reſurrectio et mutatio in melius attribuitur, eſt idem illud corpus, quo nunc vtimur: et id, quod fiet, eidem ſubiecto accidet, eritque deſtructae rei inſtauratio, et eiusdem rei mutatio, non alius plane rei procreatio. (cf. Diſſertt. p. 170. Scherzeri Colleg. Antiſocin. p. 1209.) Inde veteres maluerunt ἀνάϛασιν σαρκὸς, quam σώματος, dicere, et reſurrecturum dixerunt σῶμα τοῦτο μὲν, ἀλλ' ἐ τοιοῦτο, ſiue corpus numero idem: et Aquileienſe ſymbolum verbis, *credo reſurrectionem carnis*, addidit: *huius* carnis. (De Germanica verſione verbi σὰρξ iudicat Lutherus in LL. SS. p. 501. Cf. Gu. Abr. Telleri enarratio dogmatis de reſurrectione carnis, per quatuor priora ſecula. Halae. 1766. Pearſoni expoſitio ſymboli apoſtol. p. 653. Witſii exercitatt. ad ſymb. apoſt. p. 438.)

7) 1 Cor. 15, 50. σὰρξ καὶ αἷμα. it. v. 43. φθαρτὸν, ἄτιμον, ἀσθενὲς, ψυχικὸν, χοϊκόν. 1 Cor. 6, 13. κοιλία πρὸς βρώματα. Luc. 20, 34.

8) 1 Cor. 15, 53. Luc. 20, 36. ideoque erunt eximia (ἐν δόξῃ), omni deſtructione validiora (ἐν δυνάμει), in ſe vitam motumque habentia, vt ſpiritus, non ſuſpenſa ab aeris acceſſione et adminiculo (πνευματικὰ), 1 Cor. 15, 43. et ſimilia ei, quod Chriſtus vitae redditus habet (Rom. 6, 9. Phil. 3, 21.), h. e. expertia mortis. Quantum ergo planta differt a ſemine, quantum piſcis a iumento, ſol a luna, tantum diſtabit corporis nobis reſtituti indoles ab ea indole, quam nunc habet. 1 Cor. 15, 36 ſqq. Ceterum illa in melius mutata corpora vno verbo appellant δεδοξασμένα, idque vertunt *verklärt*. Futem melius verti, *herrlich*, *vortrefflich*: res vero ipſa, ipſa praeſtantia corporis, eſt haec, eſſe illud ἄφθαρτον.

9) Si hoc non fiat: non eſt meum corpus.

10) v. infra. §. 10.

11) 1 Theſſal. 4, 15. 17. 1 Cor. 15. 51. ἀλλάσσεσθαι. Mutabuntur aeque ac dudum mortui. Sed dudum

mortui mutabuntur sic, vt pro corpore φθαρτῷ accipiant ἄφθαρτον, vt corpus ταπεινὸν mutetur in eximium (Phil. 3, 21. μετασχηματίζειν.) Ergo et viui adhuc sic mutabuntur.

Locus Iobi (19, 25.) videtur ex alio eius libri (42, 5.) interpretandus, de spe recuperandae sanitatis certissima. Locus Danielis (12, 2.), quem Heilmannus (comp. theol. p. 364.) vertit, est et ipse ambiguae explicationis. Ergo neutrius vis ad confirmandum dogma euidens est.

4. His ita peractis, cum non amplius his in terris homines sic viuent, vt nunc quidem viuunt[1]), aderit tempus[2]) iudicii, quod κατ' ἐξοχὴν iudicium de generis humani vniuersitate[3]) dicitur, et christianorum consuetudine loquendi iudicium extremum.

1) Connectuntur resurrectio et iudicium, seu futura omnibus communis remuneratio. Apoc. 20, 11. Io. 5, 29. 1 Thess. 4, 16.

2) ἡμέρα. Rom. 2, 5. Non argutandum est in vocabulo *dies*.

3) Act. 10, 42. et 17, 31.

5. Eius et breuiores[1]) et vberiores[2]) descriptiones continent haec dogmata: Vniuersitas generis humani, excepto aut relicto homine nullo[3]), habebit iam tandem ipsa re et facto praemia vitae ante actae iustissima[4]), facto per haec ipsa euidenti et aeternum immutabili discrimine[5]) bonorum malorumque, atque ita humanum genus experietur re et facto[6]), nihil se subtrahere posse aeternum verae institutioni Dei[7]), et

omnes ſubeſſe Chriſto Domino, per quem et propter quem quilibet ſuam ſortem accipiet[8]). Breui: iudicium de omnibus omnino futurum, eſt, ipſa retributio, quae fit re et facto, ipſa merces.

1) Rom. 2, 6 ſqq. 1 Cor. 4, 5. 2 Cor. 5, 10. 2 Theſſ. 1, 6 ſqq. Apoc. 20, 11 ſqq.

2) Matth. 25, 31 ſqq. Hoc in loco, et paſſim in modo indicatis locis, *quaedam* ad meram ſimilitudiuem formae iudiciorum humanorum expreſſa, neque ad literam capienda eſſe, dubitatione caret.

3) ἕκαστος. πάντες. ζῶντες καὶ νεκροὶ (Act. 10, 42.). ἡ οἰκουμένη (Act. 17, 31.). Ἰουδαῖοι καὶ Ἕλληνες. Rom. 2, 9. 10.

4) κατὰ γνῶσιν. Rom. 2, 12 ſqq. κατὰ τὰ ἔργα. 2 Theſſ. 1, 5 ſqq. Sed hoc centies legitur. cf. Luc. 12, 47.

5) Matth. 25, 32. ἀφορισμός.

6) Deus κριτὴς ſemper eſt, per facta declarans ſententiam, operans remunerandi cauſa (thätiger Vergelter). Quod ita fiet tum ipſa re, atque ſentietur ipſo facto, id appellant theologi iudicium *retributionis*.

7) Hoc eſt illud, *debemus* rationem reddere Deo.

8) Io. 5, 27. Act. 10, 42. et 17, 31. Eſt pars operis, quod Deus Pater per Chriſtum peragit. cf. §. 3. not. 4.

6. Praeter ipſam hanc mercedis deportationem, in facto poſitam, et his dogmatibus expreſſam, quaeritur[1]), an exſpectandum ſit aliquid adſpectabile (ſolenne), [quippe eodem tempore et omnibus conſciis eueniens, ad omnes ſimul pertinens, cum hos, qui dudum inde a mortis ſuae tempo-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0324
DFG

re fuerant beati miseriue, tum illos, qui ad illud vsque vltimum tempus in terris superstites vixerant, suas singulares sibique proprias περισάσεις habens, et ita diuersum a retributione in facto posita,] quod quidem nominatim nuncupetur iudicium, et adumbretur similitudine iudicii humani[2]), habeatque consilia sibi propria, h. e. spectet fortasse ad declarandam singulari cum euidentia Christi Domini dignitatem, habentis ius et potestatem addicendi omnibus omnino fortem sempiternam[3]); aut ad eos, qui iudicabuntur, singulari modo plane conuincendos de mercedis iustitia, in vtramque partem, ex ante actae vitae omnis memoria renouata; aut ad notitiam mutuam eorum omnium, quibus sors adiudicabitur. Est autem verisimile, tale quid futurum: nempe notatio certi temporis, passim obuia[4]), et loci, Christo proprie, non Patri, assignantes iudicium[5]), aut ministrantium angelorum mentionem facientes[6]), ad exspectandum aliquid adspectabile, et ab ipsa retributione diuersum, ducunt. Quid autem et quale sit futurum, quis ausit definire, cum definiendo[7]) magis impediatur sententia, quam adiuuetur.

1) Potissimum ob Matth. 25, 31. Add. Matth. 13, 41. Apoc. 20, 12. Argumenta sententiarum vtriusque partis collegit Gerhardus Loc. T. 9. p. 56. 57.

2) v. locos not. 1. indicatos. Theologi dicunt iudicium *discussionis*.

3) Act. 10, 42. et 17, 31. Io. 5, 27. Sic ergo apparebit insigni, peculiari modo, quid sit, Deus *per* Filium suum iudicat omnes, tradidit et destinauit ei, remunerari omnibus πίστιν et facta, subiecti sunt illi qua aeternam sortem.

4) Iud. v. 6. adstringitur res certo suo tempori: μεγάλη ἡμέρα. Matth. 13, 41. differri dicitur res ad finem vsque mundi.

5) Cf. not. 3 inprimis illud: Pater neminem iudicat; sed Filio tradidit iudicium. Io. 5, 22.

6) Matth. 13, 41. 42.

7) Fecerunt hoc, qui similitudinem iudicii humani nimis vrgere maluerunt, et rem nimis ἀνθρωποπαθῶς descripserunt, aut de loco, tempore et modo totius rei quaerentes protulerunt coniecturas, et alia plura admiscuerunt. Exempla vide apud Ge. Calixtum de supremo iudicio. p. 101. Helmst. 1635.

Interdum, vbi de futuro iudicio sermo est, κρίσις est κατάκρισις. Io. 5, 24. cf. v. 29. vbi κρίσις et ζωὴ opponuntur.

7. Ipsam futuram sortem quod attinet, summatim docet[1]) SSa, nos post hanc vitam aut beatos, aut miseros fore, ad cognitionem nostram, ad animorum nostrorum affectionem erga doctrinam (πίστιν), et ad ante actae vitae rationem accommodate[2]): sed nusquam plene perfecteque[3]) describit hanc beatitatem aut miseriam, nec locum, in quo versaturi sunt beati et miseri, definit[4]).

1) Σωτηρία (1 Petr. 1, 9.) ὄλεθρος (2 Thess. 1, 9.) ἀπώλεια, sunt dogmatica verba. Hinc pendent tropi, obuii Rom. 2, 7. 8. Luc. 16, 23. 2 Thess. 1, 6. 7. Apoc. 20, 14. etiam nomina βασιλεία ἐπουράνιος

(2 Tim. 4, 18), αἰώνιος βασιλεία (2 Petr. 1, 11), exsilium et ἀφορισμὸς ex hoc regno (1 Cor. 6, 10): variaeque effigies paradisi, epuli, lucis, coronae: ignis, vermium, caliginis: item nomen ἐρανὸς (ἐν ἐρανῷ εἶναι, et formulae, εἶναι παρὰ τῷ Θεῷ καὶ χριστῷ, ὄπτεσθαι Θεὸν, h. e. vel cognoscere Deum, vel eius beneficientiam experiri, vel licere nobis, quippe puris, proxime eum versari, eum recte colere, (1 Io. 3, 2. 2 Cor. 5, 7. Ebr. 12, 14. Matth. 5. 8.) vel haec omnia coniunctim.

2) Cf. §. 5. not. 4. add. Marc. 16, 16. Io. 17, 3.

3) 1 Io. 3, 2. Col. 3, 3. add. Rom. 8, 24. 2 Cor. 5, 7.

4) Nam ipsum illud, *in caelis esse*, magis indicat statum conditionemque hominis, quam locum certum.

Si beatitas et miseria futura contingit ad notitias nostras, ad affectionem animi erga doctrinam, et ad ante actae vitae rationem accommodate; sequitur, bona et mala futurae vitae esse *nexa* e superiore vita, vt ex antecedenti consequens [1]), siue *praemia*; non autem esse mere arbitraria [2]) commoda aut incommoda.

1) Schädliche und nützliche, selige und unselige *Folgen* des vorigen Lebens und Verhaltens, Wohlstand und Uebelstand, gegründet auf das vorhergegangene Leben und Verhalten; *quia* superior vita praecesserat, et *qualis* praecesserat. Est ergo futura felicitas hactenus beneficium (χάρις Rom. 6, 23.), quatenus peccator redditur tamen felix: hactenus praemium, quatenus in tantum fit felix, in quantum ipse non impediuit, et eius ante acta vita patitur. Cf. p. 212. 213.

2) Quae neque in natura Dei animique nostri, neque in vita superiore causam habeant, sed lubitu diuino eueniant, tantum ideo, vt iis bene, his male sit, ii beneficio, hi poena afficiantur. Tale quid de Deo statuere, foret indignum Deo.

8. His ita summatim dictis additur, de beatis nominatim, capturos esse eos incre-

menta cognitionis, his in terris inchoatae [1]), et in virtutum exercitio versaturos [2]).

1) 1 Io. 3, 2. cognoscere Deum, vt vere est, accurate, sine errore. 1 Cor. 13, 10. τὸ τέλειον, *perfectius, quam in hac vita fuerat.* καθὼς ἐπεγνώσθην, *vt Deus me cognitum habuit habetque*, accurate.

2) 1 Io. 3, 2. *cum aderit futura sors, certum est, nos Dei similes* (sanctitate) *fore ob accuratiorem eius* (cui similes erimus) *notitiam.* Qui porro amor (1 Cor. 13, 8. 13.) non aliquot tantum annis destinatus fuit, vt χαρίσματα tantum initiis christianae religionis, sed omnium seculorum res et virtus est, is per naturam rei in perpetuum continuabitur. Atqui amor multiplici omnium virtutum exercitio continetur. Est ergo aeternum virtutis exercitium. Describitur item illa futura vita, vt celebratio et cultus Dei, et conditio, a qua secluſi sunt omnes scelerati. Nec intelligi potest vita beatorum, per Deum felicium, quae careat virtutum exercitio.

Ergo beata vita futura sic quoque *nexa* erit cum ante acta, siue *continuatio* huius nostrae erit cum *occupatione* et *progressione*: (qua progressione et occupatione quid intelligenti naturae beatius existimari potest?) non autem censebitur mera remunerationis fruitione; omnium minime vero suauitatum arbitrariarum otiosa perceptione: quasi ibi tantum bene sit alicui, vbi fruitur, vbi accipit: non vero et ibi, vbi discens virtutemque exercens agit ipse atque occupatur. cf. §. 7. schol.

9. Sequitur ex ante dictis, et diserte tradunt libri sacri, fore et beatorum et miserorum diuersitatem*) multiplicem, vt alius alio beatior miseriorue sit futurus.

*) Plerumque dicunt *gradus*. Matth. 10, 15. et 11, 22. 24. Luc. 11, 46 sqq. Et est facile intellectu, diuersitatem inchoatae his in terris cognitionis, actaeque hic vitae, diuersumque vsum praesidio-

rum felicitatis communium, habiturum esse et continuationis et praemii diuersitatem: ne de infantum diuersitate ab adultioribus dicam. Neque vero vltra haec duo, partim cognitionem et facta, partim communia omnibus discendi agendique praesidia, communemque omnibus praeparationem, vt causas diuersitatis futurae, nobis progrediendum est, coniectando alias causas diuersae mensurae felicitatis, h. e. non est e rebus *fortuitis*, quae in aliis aliter eueniunt, concludendum, eos habituros *ideo* esse plus minusue felicitatis. Matth. 19, 27—30. et 20, 1—17. Nos vnam illam regulam scimus, κατὰ γνῶσιν et πίστιν et ἔργα. Cf. Crusii theol. moral. P. 1. p. 715.

10. Vt praeterea constat, ipsa separatione animi a corpore caduco, rebusque huius vitae fluxis, tolli multas aerumnas[1]): in quo est pars beatitatis, quam prospicere possumus in vniuersum: ita non constat, *quatenus* corpus excellentius, quod resuscitabitur, nobisque ὄργανον agendi erit, venturum sit in societatem futurae sortis animi, et an bona sibi propria, aut quaenam potissimum, habiturum sit[2]).

1) 2 Tim. 4, 18. Rom. 8, 23. Apoc. 14, 13. κόποι non sunt occupationes, sed molestiae. [Ebr. 4, 9. non videtur vnice pertinere ad futurae felicitatis descriptionem; sed dicitur Iudaicus nominatim populus, et quisque cultor Dei, si susceperit christianam religionem (v. 3.), posse felicitatem omnigenam, christianae religioni propositam et annexam, et iam his in terris inchoantem, adipisci, et de ea laetari, ob eam se felicem praedicare, (σαββατίζειν, εἰσέρχεσθαι εἰς κατάπαυσιν), et ita similis fieri Deo, beatissimo, cuius beatitas illustratur eo, quod velu-

ti ferias post creationem laetas agat, operisque sui, eiusque irreprehensi, conscientia laetetur.]

2) Lubrico enim, aut adeo nullo nituntur fundamento attributa corporum futurorum, quae vt plurimum recenseri solent, agilitas, subtilitas, splendor (cf. Gerhardi Locos T. 9. p. 315 sqq.), aut quae de acutiorum sentiendi instrumentorum praestantia effinguntur ab his, qui sustinent prospicere aeternitatem.

Poterit ergo, vt hactenus dicta in summam colligamus, futura beatitas sic describi: esse *aeternum duraturam proborum conditionem, cum ante acta vita cohaerentem, non modo nexu remunerationis iustissimae* iuxta eorum γνῶσιν, πίστιν et ἔργα (non sine multa tamen beatorum inuicem diuersitate); *sed et nexu continuationis scientiae virtutisque cum progressione*, accommodate ad facta his in terris initia, (non sine diuersitate tamen beatorum, nec sine occupatione), *socio beatitatis corpore*; aerumnarum huic vitae propriarum experti. Cf. Nösselt über den Werth der Moral. p. 126.

11. Et beatitas et miseria erit aeterna*), sic vt maneant duo diuersa συζήματα, vnum beatorum, alterum miserorum, quae numquam, discrimine sublato, coniungentur in vnum, nec vmquam similitudine sortis commodioris aequabuntur.

*) Matth. 25, 46. 2 Thess. 1. 9. Cf. p. 178.

De miseriae aeternitate dubitari solet *ob causas grammaticas*, quia αἰώνιον etiam de longissimo spatio temporis dicitur. (Sed vid. oppositum Matth. 25, 46. synonymum Io. 3, 36. descriptiones continentes ideam sempiternitatis, Marc. 9, 44. 46. non autem longi temporis. Apoc. 20, 10.)

Dubitatur item *ob opinionem*, de rerum omnium apocatastasi, eo vsque pertinente, vt et mali spiritus

emendati tandem refluant ad Deum, compotes felicitatis, e quo Deo veluti particulae emanarint. Qua quidem de re profecto nihil legitur Act. 3, 21. qui locus (v. Erneſti opuſc. theol.) agit de rebus, prophetarum ſermone praedictis, deinceps durante mundo ita integris futuris, vt nulla, quae fieri debuit et praedicta fuit, ad integritatem deſit, et ſuam habeant omnes ac ſingulae integritatem. (v. Walchs Einleitung in die Religionsſtreit. T. 2. p. 639. 651 ſqq. inprimis T. 3. p. 260. Dietelmaieri hiſtoria commenti fanatici de rerum omnium apocataſtaſi. Altorf. 1769.)

Dubitatur denique *philoſophando*, idque per argumenta grauia, quibus vix ita reſponderi philoſophando poteſt, vt omnis obſcuritas et fluctuatio remoueatur. (Buddeus in inſt. theol. dogm. p. 633. philoſophos tales recenſet: addatur Eberhardi neue Apologie des Socrates).

Enimuero, (id quod non ſatis repeti ad modeſtiam ingenerandam animis poteſt) *nos neſcimus*, quid ſit illa futura miſeria, (finitè, determinate, qua eſt praeſentia damni, et vacuitas ab oppoſita felicitate) neque adeo de incognito nobis ſubiecto praefracte negare aliquid, aut ἀδύνατον eius praedicatum dicere debemus. *Neſcimus* diuerſitatem vnius ab altero in illo συνήματι infelicium, neque adeo id, quod omnium miſerrimum eſt, omnibus ſimpliciter tribuere, et iam praefracte de omnibus promiſcue, tamquam omnium eadem ſit conditio, negare rem ipſam, valde diuerſam, debemus. Nam, pro ſua quisque ratione et conditione, damna ſuae peruerſitatis vt ſemper quodammodo ſentiat et ferat, cur ſit ἀδύνατον? *Neſcimus*, an iſti, aut iſtorum nonnulli, redituri ſint ad ſe, reſipiſcentes aliquo modo, (quod fieri poteſt, nec abhorret a veri ſimilitudine) et habituri inde leuamentum ſuae ſortis, ſed ſero demum inchoatum, nec aequans eos felicitati beatorum: neque adeo praefracte negare debemus, eos damnum peruerſitatis, ex ipſa hac tarditate leuamenti alicuius deriuandum, ſine fine laturos eſſe, cum citius potuiſſent leuari, aut omnino potuiſſent vere felices fieri. Cf. Cruſii theol. moral. p. 79. Griesbachs populäre Dogmatik. §. 111. De paganis v. ſupra p. 128.

Res igitur, vt opinor, huc redit:

Quilibet, qui his in terris aut ἄπιστος (spretor doctrinae diuinae), aut ἄνομος fuit, aut vtroque malo laborauit, is olim, alius aliter, in suo quisque genere, feret illius ἀπιστίας aut ἀνομίας damna, ad mensuram iustissimam constituta, (effectus noxios, quorum causa in ipso est, nullo autem modo cruciatus arbitrarios, extrinsecus volente Deo immissos tantummodo, vt illi male sit) et ita feret, vt numquam addatur societati eorum, qui propter πίστιν et ἔννομον βίον felices cum Deo Patre et Christo sunt: et vt, (etiamsi resipuerit, atque damna, quae fert, leniantur), numquam aequet felices illos, aut ad salutem propositam τῇ πίστει et τῇ κατ' εὐσέβειαν ζωῇ perueniat: sed iis in aeternum postpositus maneat. Ista vero damna, quae isti ferent, cum nos non possimus definire (determinate describere); nihil possumus de possibili aut impossibili in his damnis euidenter iudicare. Certe isti semper carebunt praemiis vitae hic recte actae: egerant enim eam peruerse: haec felicitas haud parua iis semper deerit.

---

12. Mundum interiturum esse, igne hunc interitum efficiente, docemur diserte[1]): manente tamen hoc ambiguo, sitne Deus eum penitus deleturus, et in nihilum redacturus; an dissoluturus, et dissolutum instauraturus[2]), mutaturusque in alium meliorem. Quae legimus de nouo mundo[3]), nostram hanc in terris commorationem secuturo, ea certo indicant alium, eumque meliorem statum beatorum[4]): neque tamen non credibile est, fore etiam adspectabilis mundi instaurationem adiunctam[5]).

1) Ps. 102, 26. Matth. 5, 18. et 13, 39. et 28, 20. (συντέλεια τοῦ αἰῶνος) Apoc. 20, 11. 2 Petr. 3, 7 sqq. vbi

disputatur aduersus hos, qui, quod inde a creatione mundo suo constet incolumitas, nec vlla sint resurrectionis vestigia, dubitabant, eum aliquando interiturum doceturque, partim non verum esse, omni aeuo incolumitatem constitisse telluri, quae quidem grauiter vastata sit, partim, quemadmodum olim in natura ipsa fuerit affatim aquae (quae est mundi pars), qua tellus vastaretur, ita olim integrum mundum aliqua sui ipsiusmet parte, igne, vastari posse et vastatum iri. Cf. Vitringa Obs. Sacr. l. 4. c. 16. Benzelii syntagma dissertationum. T. 2. p. 306. (Lipsi. 1745.)

[Paganorum hac de re dissensiones et opinationes collegit Pfannerus in systemate theologiae gentilis purioris. p. 419 sqq. De Stoica mundi ἐκπυρώσει v. Intt. ad Cic. de nat. deor. 2, 46. et ad Marc. Anton. 10, 7. cf. Thomasii disputatio de Stoica mundi exustione. Patrum et philosophorum veterum locos v. apud Calixt. de supremo iudicio. p. 124. Sed haec omnia verbis similia sunt SSae, re dissimilia.]

2) Vtramque interpretationem admittunt et singula verba (παρέρχεσθαι, συντελεῖσθαι), et descriptio Petrina. Gerhard. Loc. T. 9. p. 136. 138. Müllers Darstellung der christl. Glaubenslehre. p. 105.

3) 2 Petr. 3, 13. Apoc. 21, 1 sqq.

4) Nam ita describunt Petrus et Ioannes, et Ioannes nominatim relate ad beatos de nouo mundo loquitur, ab eoque discernit (v. 8.) statum miserorum. Ergo hactenus tropice dicitur nouus mundus. [Similiter Ies. 65, 17. nouus mundus tropice dicitur, insignis religionum per terras conuersio.]

5) Id quoque patiuntur verba, admittit totius naturae, quae nunc est, analogia, vnius interitu vtentis ad alterius ortum, suspicari item permittit exemplum aliquod, obuium in doctrina de corporibus nostris, quae morte interierant, aliquando instaurandis in melius. v. Ps. 102, 27. Fortasse etiam Rom. 8, 19 sqq. significatur, olim rerum na-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0333
DFG

turam non tam caducam fore, vt nunc est, sed, fragilitate exemtam, habituram esse plus perpetuitatis. Ergo hactenus proprie dicitur nouus mundus, nec pugnant inuicem haec, in mundo proprie instaurato fore illum statum meliorem beatorum, qui tropice mundus nouus dicitur.

[Instauratio mundi ab aliquibus censetur altera pars eius ἀποκαταστάσεως πάντων, de cuius vna parte §. 11. p. 300 sq. ex opinione aliorum monui: sed affingitur, mundum tum, cum conditus est, fuisse meliorem, per peccata fuisse deteriorem redditum: ita ergo eum in integrum restitutum iri. Haec carent certo fundamento. Si instaurabitur, est a nobis modeste exspectandum, quid et quale futurum sit, ne paganorum philosophorum similes simus, quorum opiniones collegit Irhouius de palingenesia veterum l. 3. c. 6. Amstelod. 1733.]

13. Signa, resurrectionem mortuorum, iudicium extremum, et interitum mundi euidenter praenunciantia, siue signa illorum euentuum propria et certa, non magis sunt tradita in sacris libris[1]), quam tempus[2]), quo ea omnia tandem euenient, definitum est.

1) Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. praedicunt cladem Hierosolymorum et Palaestinae, secuturamque euangelii propagationem. 2 Thess. 2, 1 — 13. ex omni parte obscurus locus est.

2) 2 Petr. 3, 10. 1 Thess. 5. init. Et omnino voluit Deus, futura nos latere.

Finis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn866827781/phys_0334
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn866827781/phys_0338
DFG

unium, habiturum esse et con-
i diuersitatem: ne de infantum
tioribus dicam. Neque vero
tim cognitionem et facta, par-
ibus discendi agendique praesi-
omnibus praeparationem, vt
turae, nobis progrediendum est,
usas diuersae mensurae felicita-
rebus *fortuitis*, quae in aliis
cludendum, eos habituros *ideo*
licitatis. Matth. 19, 27 — 30.
s vnam illam regulam scimus,
et ἔργα. Cf. Crusii theol. moral.

a constat, ipsa separa-
pore caduco, rebusque
tolli multas aerumnas[1]):
titatis, quam prospicere
rsum: ita non constat,
cellentius, quod resusci-
ργανον agendi erit, ven-
tem futurae sortis animi,
pria, aut quaenam potissi-
fit[2]).

om. 8, 23. Apoc. 14, 13. πόνοι
nes, sed molestiae. [Ebr. 4, 9.
pertinere ad futurae felicitatis
l dicitur Iudaicus nominatim po-
cultor Dei, si susceperit christia-
v. 3.), posse felicitatem omnige-
eligioni propositam et annexam,
inchoantem, adipisci, et de ea
felicem praedicare, (σαββατίζειν,
πανσιν), et ita similis fieri Deo,
eatitas illustratur eo, quod velu-